tutem ex dictis l.e.nam sola attentione absq; comite sacram. sufficit in homine justo ad deletionem venialis ex dictis n. 248. ergo ad tollendũ obicem in sacram. qui talem remissionem impedire potest, aliqua dispositio minor attritione formali sufficere potest, cõsequentia patet; quia ad tollendũ obicem minus requiritur, quàm ad ipsum veniale tollendum. ergo si ad delendũ ipsum veniale satis est attritio ad tollendum obicem, in sacramento minus requiritur.

Confirmatur, quia ad expellendum obicem respectu mortalis, ejusque remissioni viam aperiendã est sufficiens dispositio ipsa formalis attritio ex dictis art. præc. ergo ad tollendum obicẽ respectu venialis, ejusque remissionis impetrandę in sacramento minor dispositio sufficere poterit, quæ scilicet sit attritio virtualis; Consequentia patet; quia peccatũ mortale est gravis Dei offensa, & maxima aversio ab eo, veniale verò levis omnino. & exigua, cum gratiæ, & amicitiæ Dei non opponatur, ut igitur homo suscipiens sacramentũ nõ dicatur ponere obicem remissioni venialis, satis erit, ut ad sacramentum accedat sine actuali complacentia venialis, & cum affectu recipiendi sacramentum, ejusque effectum, cùm tale desiderium sit virtualis quędã retractatio venialis, quatenus homo paratus est sumere remedium talis mali deftructivũ. Deniq; probatur, quia opposita sententia sequitur, nunquam venialia verè remitti in sacram. pœnitentię, quia jam semper inveniretur remissio facta per attritionem præcedentem, quod diximus ex se habere vim delendi veniale extrà sacramentum; Et insuper sequeretur, quòd magis, vel æquè rigorosa dispositio requirerentur ad remissionem peccati levis, & gravis, quod justitiæ non convenit; Itaq; concludẽdum est, sacramentum pœnitentiæ ad fructum remissionis peccatorum non exigere, nisi effectum illum, qui sufficiens est ad tollendum obicem, qui valorem. & fructum sacramenti potest impedire, & quia obex mortalis nequit tolli per affectum, qui sit minor attritione formali, vel dolore absoluto, & efficaci, ideo illum exigit; Quia verò ad tollendum obicem venialis satis est alia dispositio minor jam declarata, ideò ipsa suppositá pœnitentiæ sacr. vi sua propria potest omnia abolere venialia, ad quæ se extendit exigua illa dispositio, nam minor retractatio requiritur ad remissionem venialis, quàm mortalis, ut etiam concedit Amicus loc. cit. nec ulla est ratio, ob quam pœnitentiæ sacramentum ab hac universali regula excipi debeat.

417 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quòd licet ad consequendum fructum hujus sacramenti pro remissione mortalium necessaria sit attritio formalis ad tollendum obicẽ ob peccati mortalis gravitatem, tamen ad consequendum fructum pro remissione venialium ob eorum levitatẽ sufficit alia dispositio minor jam declarata, nempè ut homo non habeat actualem cõplacentiam talium peccatorum, & habeat voluntatẽ recipiendi effectum remedii, quod assumit, hæc enim est quædam virtualis attritio, & detestatio peccati, dùm homo vult efficaciter ejus medicinam, & antidotum assumere, tali enim actu sufficienter excluditur quælibet complacentia peccati venialis, & quolibet propositum committendi iterum illud peccatum, unde licet non sit displicentia ita perfecta, sicut est formalis attritio, est tamen displicentia efficax, sicut illa, desiderium enim, quo justus cupit à peccato emundari per susceptionem sacramenti, est quædam saltem virtualis detestatio, & retractatio peccati, dùm homo vult ejus medicinam assumere, & quamvis non ex se sufficiat extrà sacramentum ad deletionem venialis, ut attritio formalis, dicimus tamen, ad id sufficere cum sacramento, quia sufficit ad tollendum obicem pro effectu sacramento consequendo. Quando vero dicitur, attritionem, & dolorum formalem etiam in confessione venialium esse saltem necessarium ad valorem hujus sacramenti, quia à Concilii ponitur ejus pars essentialis, & sine vero, & efficaci dolore hoc sacramentum consistere nequit.

Respond. Hiribarnes loc. cit. quòd licet Sacramentum pœnitentiæ secundum rationem suam specificam requirat attritionem formalem ad sui rectitudinem, & constitutionem; attamen facta ejus constitutione non exigit attritionem ad obtinendum effectum remissionis venialium in homine justo, sed satis erit aliqua minor dispositio, qua rettactentur venialia, & non erit opus attritione; undè si quis ad confessionem accedat cum solis veniialibus, sufficit, ut de uno solo formalem habeat attritionem pro constitutione sacramenti, ad consequendam verò aliorum remissionem sufficiet alia dispositio minor jam declarata. Hæc tamen responsio parum, vel nihil juvare videtur, dicunt enim Adversarii, quòd in tali casu ex vi attritionis unius tantũ peccati venialis recipit ille justus gratiã sacramentalẽ, quia nullum ponit obicem, etiamsi non accedat cum dolore sufficiente ad remissionẽ omnium venialium. Posset ergo dici, ad valorẽ confessionis venialium posse etiam sufficere attritionem virtualem jam explicatam, cùm hæc æquivaleat detestationi; & retractationi formali ipsorum, ut jam dictum est, & quando Cõcilia dicunt, ad valorem confessionis necessariam esse attritionem formalem, & verum, ac efficacem dolorem, loquuntur præsertim de confessione mortalium, vel venialium cum aliquo mortali nam pro pura confessione venialium potest etiam ad ipsius valorem sufficere attritio virtualis jam explicata, quam tamen solutionẽ aliorum judicio submitto, quæ si non placet, dicatur cum prima solutione, quod licet ad valorẽ, & rectitudinem sacramenti requiratur formalis attritio saltem de uno veniali, non tamen requiritur ad effectũ remissionis aliorũ, quæ in confessione explicantur, sed alia minor dispositio sufficere potest; unde licet attritio illa formalis nõ extendatur ad omnia venialia, sed tantum ad unum sacram. illud per aliam dispositionem minorem ad cætera venialia extensam cũcta peccata remittet in confessione manifestata, & sic adhuc habetur intentum, quòd ab obtinendam venialium remissionem per hoc sacramentum non est necessaria attritio formalis, sed potest etiam sufficere dispositio minor jam explicata.

418 Secunda Difficultas est, an debeat etiam pœnitens dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur. Affirmant aliqui, teneri pœnitentem sibi mortali habere saltem attritionem de omnibus venialibus, quę confitetur, itaut quamvis non sit obligatus de jis confiteri, & possit, quę voluerit, prętermittere, tamen suppositò, quòd velit de jis confiteri, debere accedere cum eorum cõtritione, alioquin peccaret mortaliter, ita referunt Suar. disp. 20. sect. 6. Lugus disp. 14. sect. 8. Aversa q. 31. sect. 6. fundamentum est, quia cùm materia hujus sacram. sit confessio cum dolore, nisi quis habeat verum dolorem, subjicit pro materia sacram. potiùs historicam narrationem, quæ non est apta materia, quarè facit injuriam notabilem sacram. & ita sacrilegium committit; Sicut si quis porrigeret v. g. pro materia Euchar. aliquam formulam panis non triticei, etiamsi conjunctim cum aliis formulis panis triticei, & faceret, ut Sacerdos simul super omnes cum intentione consecrandi verba proferret; Ita & in hoc sacram. facit, ut Sacerdos indistinctè proferat verba absolutionis super omnia peccata ei exposita, quorum tamen aliqua non fuit apta materia, & super ea redditur falsa forma: *Ego te absolvo à peccatis*.

Cõmunis autem opinio Recentiorũ affirmat, non teneri pœnitẽtem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quę confitetur, sed tantùm de aliquibus, ne irritum sit sacram. quia dùm pœnitens cõfitetur aliqua peccata cum dispositione idonea ad valorem, & effectum sacram. jam ponit in tuto exercitium sacram. ne sit irritum, & ne careat effectu, & de reliquo non irrogat gravem injuriam sacram. exponendo simul aliqua peccata venialia, quæ quidem non sunt materia gravis, & necessaria, de quibus nò percipiat in se dispositionem, & attritionem requisitam ad eorum remissionem; sicut nõ peccant, qui simul cum peccatis accusant, se de quibusdam defectibus, & imperfectionibus rationem culpæ non attingentibus, sed tantùm importantibus carentiam majoris perfectionis, quę nõ est propriè materia hujus sacram. Ita Suar. Lugus, Aversa, Henriquez, Hurtado, & alii Recentiores, qui negant paritatem ex materia Euchar. deluctam in allato exemplo ob incertitudinem, & difficultatem, quæ esset in discernendo, quę formulæ sint consecratæ, & Sacerdos, qui eas non discernit, directè profert verba consecrationis super omnes, & singulas formulas, ac si de singulis diceret: *Hoc est corpus meum*, quod esset grave inconveniens super aliquam formulam incapacem; At Minister absolvens profert verba absolutionis directè super ipsum pœnitentem dicendo: *Absolvo te*, qui pœnitens est verè capax absolutionis penes materiam habilem, quam offert, eorum peccatorum, de quibus se cum debito dolore accusat.

419 Hic dicendi modus recte procerit tenendo communem opinionem, quòd in confessione venialium requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, sicut requiritur in confessione mortalium; sic inquam, verum est, non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, sed tantùm de aliquibus, ne irritum fiat sacramentum. Verum tenendo juxtà doctrinam premissam in solutione prędecentis Difficultatis, attritionem formalem, & expressam non esse necessariam dispositionem pro remissione venialium, quando non sunt cum mortalibus admixta, sed sufficere posse minorem dispositionem, nempè actualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem efficacem recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut à venialibus purgari possit; juxtà, inquam, hanc doctrinam tenetur pœnitens accedens ad sacramentum cum solis veniialibus de jis omnibus hoc modo dolere, & pœnitere, nam talis pœnitẽtia importat solùm non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi remedium, quod assumit; sed talis actus debet necessariò cadere super omnia venialia, quæ confitetur, nam si ad omnia non se extenderet, jam de aliquo veniali complacentiam actualem haberet, vel displicentiam inefficacem, nec voluntatem efficacem haberet assumendi remedium pro purgatione omnium venialium, quæ confitetur, undè sic accedendo gravem injuriam faceret sacramento, & ideo loquendo de ista minori dispositione, quam diximus, pro remissione venialium sufficere mediante sacramento, debet talis pœnitentia ad omnia venialia se extendere, quæ in confessione aperiuntur, alioquin confessio irrita esset, & confitens mortaliter peccaret, quia cum obice accederet ad sacramentum.

420 Tertia difficultas est, An etiam in confessione venialium requiratur propositũ efficax formale, vel virtuale vitãdi omnia peccata venialia; Nam ex una parte tale propositum videtur necessarium ad excludendam voluntatem iterũ venialiter peccãdi; Ex alia verò

verò parte videtur, quòd non quia scimus nos non posse vitare omnia illa, supposita fragilitate nostra, ũdè dicitur de venialibus, quòd *septies in die cadit justus*, nemo autem potest efficaciter velle, quod videt esse moraliter impossibile, non enim dari potest voluntatis propositum, & decretum efficax circa obiectum cognitum impossibile, ut constat ex dictis *disp. 7. de Anima q. 5. ar. 2. n. 102.* hinc oritur dubium, quonam modo possit pœnitens hoc propositum habere circà peccata venialia in posterum vitanda.

Pluribus modis hanc possibilitatem explicare conatur Lug. *disp. 14. sec. 9.* & inquit præsertim *n. 137.* quòd potest pœnitẽs habere propositum universale vitandi omnia, & singula venialia, non quidem per modum volitionis absolutæ, quæ dicat, volo nunquam peccare venialiter, sed qua dicat, quantum est ex me, volo nunquam peccare venialiter; neque enim repugnat, quòd aliquis velit, non voluntate absoluta, sed efficaci, quantum est de se, procurare aliquid, quod scit non futurum; Et quando dici solet, non posse dari voluntatem absolutam circà obiectũ impossibile, inquit, intelligi debere de voluntate omninò absoluta, non de voluntate efficaci, quantum est ex me, sic enim peccator per contritionem detestatur efficaciter peccata, non quidem volendo absolutè, quòd non fuerint, sed volendo efficaciter, quantum est ex se, quòd non fuissent, sic possũ ego velle volare voluntate, non absoluta, sed efficaci, quantum est ex me, & velle, ac conari, quantum est ex me, movere saxum, quod meis viribus moveri non possint, quanto ergo magis possum simili voluntate velle nunquam peccare venialiter; hæc autem voluntas licèt non sit absoluta, sufficit tamen ad valorẽ sacramenti, ad quod solùm requiritur voluntas talis, quæ expellat voluntatem peccandi, illa verò est talis, nam cum illa nunquam poterit coniungi volũtas actualis peccandi. Deinde *n. 130.* alium dicendi modum subdit, quem sequitur Aversa *q. 11. sect. 2.* & est, quòd pœnitens potest habere dolorem, & propositum de iis peccatis venialibus, quę confitetur, & habere dolorem de his omnibus, ac propositum vitandi omnia similia, non enim commiserat omnia possibilia, vel omnibus modis possibilibus; Neq; necesse est in peccatis venialibus, sicut in mortalibus, habere animum omnia possibilia vitandi, in hoc enim differret confessio de venialibus à cõfessione mortalium, in qua requiritur semper universale propositum vitandi omnia, quod propositum non requiritur ad remissionem venialium; tale igitur propositum satis erit ad consequendam veniam omnium eorum, quæ confitetur.

421 Neutet tamen horum modorum dicendi placet; non quidem primus, nam difficultas urget, quomodo possit quis pro tunc habere tale propositum efficax faciendi deinceps toto tempore sequenti id, quod apprehendit impossibile, etenim ut inquit Doct. *2. d. 6. q. 1. ad princ.* & est doctrina cõmunis in omni Schola; nihil vult efficaciter voluntas, nisi ad quod disponit media, per quæ finis acquiri potest, & talis volitio efficax nunquã est alicuius impossibilis, quia nullus consiliatur de impossibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum mediũ ad illud, & in hoc sensu explicat Doct. dictum Philos. *3. & 6. Ethic.* quòd *electio non est impossibilium*; Undè falsum est, me habere posse voluntatem efficacẽ ad volandũ, vel ad movendum saxum excedentis ponderis, ac etiam falsum est, peccatorem per contritionem detestari efficaciter peccata cõmissa, non quidem volendo absolutè, quòd non fuerint, sed volendo efficaciter, quantum est ex se, quòd nõ fuissent, neque in hoc sensu benè explicatur efficacia doloris de peccatis præteritis, sed explicari debet, ut diximus ab initio huius *dis. q. 1. a. 1. n. 10.* quatenus potest voluntas ferri in peccatum prętęritum, ut moralter præsès per modum habitus nondùm retractati, & sicut potest illud efficaciter detestari; in peccatum verò, ut formaliter prætertum actu absoluto, & efficaci ferri non potest desiderando, quantũ est ex se, ut peccatum commissum nõ sit commissum, quia hic actus est ad obiectũ impossibile, ferri tamen potest actu conditionato, facta scilicet hypotesi, quòd sit possibile, ut peccatum commissum non fuerit cõmissum, & hoc modo potest, ac debet pœnitens velle, ut peccatum non sit commissum, sed hic est affectus simplicis desiderii, non verò voluntatis efficacis, quia hæc supponit absolutam obiecti possibilitatem, non conditionatam tantùm, & cum ordine ad executionẽ mediorum. Nec etiam placet alter dicendi modus, quòd scilicet in confessione venialium satis sit habere propositum non iterum committendi venialia, quæ confessus est, neque sit opus habere propositum alia omnia evitandi; Non, inquam, placet, quia cum tali proposito limitato ad similia peccata tantùm evitandi, qualia confessus est, seù non iterum illã committendi, stare potest voluntas committendi venialia alia diversa, sive diverse specie; sicut ergo in confessione mortalium non sufficit propositum sic limitatũ, sed requiritur propositum universale omnia prorsus mortalia evitãdi, sivè similia, qualia confessus est, sivè dissimilia, & alterius speciei, ità etiam dicendũ de proposito in confessione venialiũ requisito ad consequendam veniam omnium eorum, quæ confessus est.

422 Dicendum ergo potiùs est, quòd potest, ac debet pœnitẽs nõ solùm actu dolere de omnibus prætęritis, & dicere, quòd nullum vellet commississe; sed etiam habere propositum faciendi diligentiam vitandi in posterum quodlibet singillatim, & cautè vivendi quantũ ex divina gratia sibi concedetur; potest, inquã, habere propositum efficax faciendi, quantum est ex parte nostra, & quantũ in nobis fuerit ad vitanda illa, quãtùm humano modo fieri possit, supposito divinę gratiæ auxilio, hoc enim propositũ sufficit ad hoc, ut in Sacr. remittantur omnia venialia; quę fiunt confessionis materia, ita videtur sentire Suar. *d. 4. sec. 3. n. 5.* neq; dissentit Aversa *l. c.* ubi gratis conceditquòd hęc diligentia apprehendi potest à pœnitẽte ut possibilis, & quod excludit voluntatẽ cõmitendi ullum veniale in particulari, non enim benè staret cum illo animo volunatas mentiendi venialiter, aut negligẽter orandi, & sic de similibus, atq; hoc propositum de futuro satis cõtrispondet cũ dolore de præterito, & sufficiet ad consequendam veniam de omnibus anteà cõmissis.

Ad fundamentum in oppositum, seù rationem dubitandi, quòd nemo potest efficaciter velle, quod videt esse moraliter impossibile; non potest autem homo in hac vita ob eius fragilitatem omnia venialia evitare; dicendum est, quòd licẽt hoc verum sit, adhuc tamen homo verè, & realiter physicam semper habet potentiam, & auxiliũ sufficiens ad vitanda quęlibet peccata venialia, nec vitando plura, & plura talem amittit potentiam, vel viribus deficit, & auxiliis ad alia vitanda sufficientibus, unde non se habet ad evitanda omnia venialia, sicut se habet ad volandum, vel movendum saxum excedentis ponderis, quæ erant exempla à Lugo allata, siquidem ad hæc habet homo non tantùm impotentiam moralem, sed etiam physicam. Quando ergo dicitur homini impossibile omnia evitare venialia, hoc est intelligendum de impotentia morali duntaxat, non autem physica, & hoc est propter maximam, & ingentẽ difficultatem, & ob magnam sui fragilitatem, ac divinam permissionem; quamvis autem voluntas circà obiectum physicè impossibile efficax propositum habere non possit, potest tamen illud habere circà moraliter impossibile supposito auxilio divino, atque ideò potest homo proponere efficaciter modo iam explicando ab omnibus venialibus in futurum abstinere, etiamsi sciat, vel probabiliter dubitet, ob magnam difficultatem, & sui fragilitatem se in plura, & plura successivè lapsurum; aliis etiam modis hanc possibilitatem propositi efficacis circa venialia evitanda Poncius ostẽdere, & suadete cõatur *d. 26. sec. 3.* propè finem, qui mihi nõ multũ satisfaciũt, & apud ipsũ videri possunt. Alia plura hic disputari solẽt de contritione, seù interiori pœnitentia, prout denotat internã animi dispositionem ad confessionem externam; quæ sufficienter patent ex dictis de Pœnitentia virtute *q. 5. & 6.* huius Disputationis.

QUÆSTIO SEXTA.

De Confessione sacramentali, an sit ad salutem necessaria, & quomodo.

423 POst contritionem, quę erat prima pars materialis, & essentialis huius sacramenti, agendum est de Confessione externa, quę est altera pars essentialis sacram. huius, & notior contritione, ut per se sensibilis; Solet autem confessionis nomen pluribus modis usurpari; Primò in genere pro confessione cuiuscumque veritatis, quo modo pertinet ad virtutem veracitatis. Secundò pro confessione fidei, quæ pertinet ad eandem fidei virtutem. Tertiò pro confessione laudis, quam Deo deferimus ob eius beneficia, opera, & attributa, quæ ad virtutẽ Religionis spectat; Quartò pro confessione iudiciali in foro externo quæ ad virtutẽ Justitiæ pertinet, ut Arist. docet 4. Ethic. *cap. 7.* Quintò tandem sumitur pro manifestatione, seù accusatione suorum peccatorum in foro interno coram legitimo Ministro, ad finem obtinendi eorum veniam, & remissionẽ per absolutionem, & hæc est propriè sacramentalis confessio, de qua hic est sermo, & est actus pœnitentiæ virtutis, qui hic considerãtur, ut altera pars sacramenti huius; Definitur autem, quòd sit *accusatio sacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clavium*; prima particula stat loco generis, quia confessio Sacramentalis non est qualiscunque peccati propalatio, & manifestatio, reliquæ verò locum tenent differentiæ, nam *Sacramentalis* ponitur ad differentiam cõtritionis; quæ est confessio coram Deo, & aliarum confessionum non sacramentalium; *legitima* ponitur ad differentiam eorum, quę carent conditionibus requisitis; *de propriis peccatis* ponitur ad differentiam confessionis laudis, in qua Deum laudamus, non autem nosmet accusamus; *facta coram Sacerdote* ad differentiam confessionis externi fori factæ coram Judice criminali; additur tandem, *ad veniam impetrandam* ad differentiam confessionum pœnalium, quæ ad punitionem præcisè ordinantur, non ad veniam.

Jam suprà dictum est *q. 11.* huius Disp. ab initio *n. 304.* hoc pœnitentiæ sacramentum fuisse à Christo Domino immediatè institutum, supponens ex parte Ministri potestatem remittendi, & retinẽdi peccata, ex parte verò pœnitentis includere dolorem, confessionem, & satisfactionem de peccatis commissis, ut materiam huius sacramenti, hancque veritatem contineri in illis verbis Christi Io. 20. *quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nunc igitur inquirendum est, an hoc pœnitentiæ sacram. fuerit à Christo quoad omnes suas partes complerè insti-

tutum,& præsertim quoad confessionem,itaut ex vi eiusdem institutionis necessaria sit explicita, & distincta confessio peccatorum, eo prorsus modo,quo inCatholica Eccl.exercetur.Item iam suprà dictum est *q.7.*huius *dis.n.*178.*& seq.* pœnitentiam virtutē esse necessariam homini lapso in peccatum mortale ad salutē necessitate medii,& præcepti,& nō tantùm ex præcepto divino positivo,sed etiā naturali.Nunc igitur pariter vestigandum est,an sacram.pœnitentiæ , seu sacramentalis confessio sit medium eodem modo necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post baptismū.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

414 PRo quæstionis resolutione Primò dicendum est, Sacramentum pœnitentiæ fuisse à Christo quoad omnes suas partes complete institutum, etiam quoad confessionem Sacramentalē. Conclusio est omnium Catholicorum contrà Hæreticos quāplures,quorum aliqui dixere,huiusmodi cōfessionem fuisse primò inventam,& invectam ab Innoc. Tertio in cap. *omnis utriusque sexus*,quam præsertim docet Sc. *d.17.q.un.ar.1.*& posteà tanquam de fide definiunt Conc.Trid. *ses.*14.c.5.nam de fide est, hoc sacramētum esse à Christo immediatè institutum,sed pariter de fide est,cōritionem,confessionem,& satisfactionem esse materiam,& ex Dei institutione ad huis sacramenti integritatem pertinere, ex Trid.*l.c.*ergo pariter de fide est, hoc sacramentum integrè, & completè quoad omnes suas partes fuisse à Christo immediatè institutum, quia si aliqua pars non esset immediatè à Christo instituta, nō posset cum veritate dici,totum hoc Sacram. fuisse à Christo institutū. Deindè probatur speciatim de Confessione ex verbis Concilii ibidem,ubi sic loquitur:*ex institutione sacramenti pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit , institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem , & omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere.* Undè infrà concludit , repellendā esse inanem eorum calumniam,qui eam à mādato divino alienam , & inventum humanum esse , atque à Patribus in Conc. Later. congregatis initium habuisse docere non verentur . Tandem probatur ratione.quia si confessio sacram. ab Ecclesia instituta fuisset,ut Sectarii dicunt , iam in ea dispensare posset , siquidem dispensare potest in omnibus, quæ ex ipsius potestate pendent; at in nulla huius sacramenti parte Eccl.dispensare potest,ut est cōmunis omniū Catholicorum sensus ; ergo &c. Verum quia aliqua est inter Scholasticos dissensio,an hæc veritas sufficienter ex Evangelio colligatur,aliqui enim Nominales id negant , & haberi putant traditione per Apostolos oretenūs Ecclesiæ facta , ideò pro resolutione.

425 Secundò dicendum est, hanc integram huius Sacramenti institutionem sufficienter colligi ex verbis citatis Jo. 20. *quorum remiseritis peccata &c.*,ita Sc.*lo.ci.art.*1.in fine , ubi hoc probabilius putat, quæ doctrina posteà in Trid.confirmata est *sess.* 14.*c.cit.* ubi habetur,ex institutione sacram . pœnitentiæ iam explicita Eccles. semper intellexisse, institutam esse à Domino integram peccatorū confessionem; superiùs autem *c.*1. dixerat,tunc Dominum pœnitentiæ sacramentū instituisse, cùm à mottuis suscitatus insufflavit in discipulos suos dicens.*accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*ergo Concilium ex illo loco,& verbis sufficienter hanc veritatem colligit . Cuius etiam congrua ratio afferri solet ex Sc.*loc.cit.* nam per hæc verba acceperūt Apostoli,& eius successores potestatem remittendi , & retinendi peccata fidelium , & constituti sunt,tanquam Judices, qui pœnitentibus ritè dispositis sententiam absolutionis,& remissionis proferrent.indignis verò , & indispositis sententiam retentionis;sed certè iudicium exerceri & sent.proferri non potest,nisi probè cognita,& discussa,causa de qua agitur;ergo ex institutione huius sacram.& de iure divino explicita,& distincta confessio peccatorum præcedere debet.Deindè nequeunt,peccata remitti,nisi retractentur, ergo cum confessione necessarius est aliquis internus dolor , hinc etiam habetur propositum satisfaciendi,siquidem qui alium offendit,nec illi de se potest condignè satisfacere,ut offensę condonationem obtineat,opus est, ut se se offensō submittat , vel alicui ab eo delegato,cum animo satisfaciendi iuxtà eius beneplacitum . Tandem hinc etiam habetur sententia Ministri absolutoria, nam ut à peccatis contritis, & confessis pœnitens absolvatur, necessaria est absolutio Ministri.cui cōmissa est causa dilectorum,cùm hæc more humano petagi debeat; cùm autē hæc sententia iudicialis aliquo signo externo exprimi debeat,planè nequit alio signo exteriori commodiùs exprimi,quàm voce ipsius Ministri, cùm talis confessio debeat esse secreta, & soli Ministro facta, Sed ex his integratur tota natura Sacr. pœnitentiæ ; ergo ex verbis Evang.relatis sufficiētēr colligitur integra huius sacramenti institutio quoad omnes,& singulas sui partes;ita discurit Doct.*dist.*17.*cit.q.un.ar.1.vers.Ex hoc arguitur.* Verùm subdit Doctor ibidem,hunc discursum benè concludere, sacram.pœnitentię esse à Christo institutum quoad omnes eius partes . tanquam utile, & efficax; non tamen sufficienter probare ; quòd sit necessario recipiendum tanquam sub præcepto cadens , quia Extrema unctio est instituta à Cristo,& Confirmationis sacramentū,& tamen neutrum est simpliciter necessarium,nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo ; potuit igitur Christus Apostolos, & Sacerdotes Iudices constituere solùm ad utilitatem fidelium,ut si velint,possint ad eos recurrere,non tamen,ut obligentur,uti fit in peccatis venialibus, quæ possumus, si volumus, subiicere clavibus, non tamen tenemur. cùm sint alia media ad ea expianda;Restat ergo discutiendum ulteriùs , an ex institutione huius sacramenti sit necessaria de iure divino explicita confessio , seù an sacramentum pœnitentiæ in lege Evangelica sit institutum , tanquam medium necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post baptismum , pro cuius dubii decisione ponitur conclusio sequens.

426 Tertiò dicendum est,hoc sacramentum esse medium necessarium ad consequendam remissionem mortaliū, quæ post baptismum commissimus , necessitate divini præcepti , & consequenter confessionem sacramentalem esse fidelibus eodem modo necessariam,& in hoc sacramento requisitam ex institutione ipsa Christi, & divino eius iure , atque ut talem semper , & ab initio in Ecclesia viguisse.Ita Sc. *lo.ci.* cum omnibus Catholicis contrà Hæreticos id neganter,quod posteà , tanquam de fide desinivit Trid.*sect.*14.*cit.c.* 5.ubi ait,ex institutione sacram.pœnitentię à Christo facta integrā peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere;& can.6.damnat, negantes confessionem sacramentalem institutam esse à Christo , & necessariam iure divino,& can.7.declarat,esse de iure divino necessarium confiteri in sacramento pœnitentiæ omnia, & singula peccata mortalia. Hoc idē probatur ratione à Scot. insinuata,quia omnis necessitas,vel obligatio ad aliquid agendum pro animæ salute consequenda , vel oritur à iure naturali,aut à iure divino positivo, aut tandem à iure positivo Eccles. Non oritur necessitas confessionis sacram. à iure naturæ, quia ut inquit Doct.sub lit.A.& B. sumendo legem naturæ Theol. & in vera significatione , necessitas sacramentalis confessionis non est de lege naturæ , quia præcepta legis naturæ sunt uniformia , & obligant pro omni statu,sed sacramentum pœnitentiæ non obligabat neque pro statu innocentiæ , neque pro statu legis naturę , vel scriptæ, nam antè Christum,& institutionem ab eo factam hoc Sacramētum nec erat. Et quamvis naturale sit suum peccatum agnoscere, & de eo veniam à Deo penitere, naturale tamen non est illud alteri confiteri ad remissionem obtinendam ; quamvis etiam confessio de peccatis, & generaliter , & specialiter facta Deo, ut summo Judici , sit hominini necessaria ad salutem pro omni statu ; hæc tamen confessio non est sacramentalis , quia non est facta Ministro ab ipso delegato , sed immediate ipsi Deo.

Deindè neque confessio sacramentalis, quæ fit homini,ut Ministro Dei,est ex iure positivo Eccl. instituta , tanquam necessaria ad remissionem mortalium post baptismum commissorum; nec;enim reperitur præceptum Eccles. de confessione sacramentali , sed de tempore confessionis,singulis annis tempore Paschatis exequendę, ut constat extra de pœnitentia, & remissione *c.omnis utriusque sexus* ; Neque enim per Lateran. Concil. ut docet Trid.*lo.ci.*Ecclesia statuit,ut Christi fideles confiteantur,quod iure divino necessariū, & institutum esse intellexerat , sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus,& singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur;Tùm quia,ut supra dicebamus,si confessio sacramentalis ab Ecclesia instituta fuisset,iam in ea dispensare posset , quod est omninò falsum; Restat ergo , ut hoc præceptū de Confessione sacramentali sit ex iure divino positivo pro statu novæ legis à Christo factum , & ab Apostolis in Ecclesia promulgatum , atque executioni mandatum, sed quia adhuc dubium est , quo pacto , & undè hæc necessitas colligatur .

427 Quattò Dicendum est,necessitatem huius sacramenti, sivè cōfessionis sacramētalis sufficiēter deduci ex relatis Christi verbis,*Quorum rrmiseritis peccata, remittuntur eis* &c.Jo.20.Ita Sc.*lo.ci.*ac etiam posteà Conc.Trid.*sess.*14.c.5.id autem aliqui deducunt ex duplici potestate à Christo Apostolis cōcessa,ac eius successoribus remittendi,& retinēdi peccata,si enim sacerdos ex Christi cōcessione auctoritat em habet retinendi peccata fidelium ; ergo Fideles ex præcepto Christi tenentur sua peccata sacerdoti pandere; consequentia probatur , quia nequit Sacerdos peccata pœnitentis retinere,nisi pœnitens teneatur ea clavibus subiicere;dato enī,posse pœnitentē contritione absq; sacram.pœnitentiæ in re, vel in voto remissionem peccatorum consequi , nulla ratione posset Sacerdos ea retinere; ergo dicitur Sacerdos ea retinere posse, quatenus potestatem habet ea non absolvendi ex rationabili causa,at nequit Sacpeccata pœnitentis ex causa non absolvere,nisi pœnitens ea Sacerd. manifestet , ergo in ipsa potestate retinendi peccata sacerdotibus concessa includitur necessitas confitendi fidelibus , cùm nequeat illa salvari absq;debito confitendi in ipsis fidelibus;ita Aureol.*4.d.* 18.*art.*1.quem sequuntur Vasq. Amic. Aversa. & Alii Recent. At inquit Doct. sub lit. F. quòd licèt veba illa iuvent ad inferendam necessitatem,& obligationem confitendi,non tamen ex illis sufficiēter deducitur necessitas,sed aliqua alia propositio est supponēda,vel subintelligenda; probatur assumptū , quia illis affirmativis, *quorū remiseritis,& quorū retineritis,*Christ. nō addit negationē , *si non*

si non remiseritis,Deus non remittet , si non retineritis , Deus non retinebit,plurium nāque hominum peccata Deus retinet, quę sacerdotes non retinent,ut sunt peccata omnium baptizatorum,qui nō confitentur,& damnantur;sed loquitur restrictivè,idest.si peccata quæ vos audieritis,retinebuntur;etiam à Deo retenta erunt;ergo ex illis solis verbis,& ex illa duplici potestate sic tradita restrictivè,& non ampliativè,non potest sufficienter concludi necessitas adeundi Sacerdotem.Tùm quia ex eo discursu non deducitur hęc necessitas,& obligatio ex illa duplici potestate retinendi,& retinendi peccata,sed ex sola potestate retinendi,nam ex hac tantùm immediatè infertur, & obligatio in fidelibus & ad sacerdotes defetendi ex vi illius discursus,& potestas in Sacerd. ad ea remittenda , quia qui habet potestatē retinendi , necessatiò quoq; potestatem remittēdi habere supponitur;retinemus enim,quod remittere possumus.

428 Alia ergo via ex eo loco deducit Doct. hanc necessitatem , suppositа nimirùm obligatione hominis ad diligendum Deum, & seipsum,quod fieri nequit nisi per peccatorem remiss.& gratiæ recuperationem,ex quo sic arguit, qui amisit primam gratiam, tenetur sub præcepto recuperare illam, ex illis duobus præceptis: Diliges Dñ.Deum tuū, & diliges te ipsum;sed ubi sunt duæ viæ consequendi salutem,tenemur ad faciliorem, & tutiorem;facilior autē, & tutior via est peccati remissionem consequi per pœnitentiam sacram.quàm per pœnitentiam virtutem ; ergo sub præcepto tenemur hoc sacram. suscipere ad peccati remissionem certiùs consequendam ;maior de se constat,minorem probat,quia in rebus ad salutem necessariis tenemur sequi viā tutiorem,alioquin videremur salutē contemnere eam periculo exponendo ; subsumptam etiam minorem probat, quoniam ad consequendam gratiam cum pœnitentia vero sacramento sufficit non ponere obicem; cū pœnitentia verò virtute requiritur contritio ; potest autem quis certior esse , quòd non ponat obicem , quàm quòd habeat contritionem sufficientem ad iustificationem, quia potest probabiliter , scire se non accedere ad hoc sacram.cum aliquo peccato actuali,& cum intentione recipiendi sacr. & effectum ipsius,at nō potest scire,se habere pœnitentiam sufficientem ad iustificationem extrà sacr. quarè concludit Doct.necessitatem præcepti confessionis non deduci ex isto verbo tantùm, *Quorum remiseritis &c.* sed ex isto, & illo præcepto ,*diliges Dominum Deum tuum* simul iuncto. Ex quo patet, hanc rationem Doct. non benè in terminis adduci ad id probādū à Branc.nostro *d.23.ar.4.n.*58.ubi supponit, quòd unicū sit medium in lege Evang.ad obtinendam iustificationem à peccato commisso post baptismum,scilicet,pœnitentiæ sacram.unde habita tali notitia fidei,ac etiam dilectionis Dei præcepti,& sui ipsius,statim concludit,tale medium esse sibi necessarium ad propriam salutem cōsequendam; At tale suppositum non facit Doct. quòd scilicet , sit unicum medium in lege Evang. ad obtinendam iustificationem , scilicet, pœnitentiæ sacram.imò supponit,duplicem esse viam, scilicet pœnitentiam virtutem,& pœnitentiam sacramentum, & hanc inquit,esse faciliorem,& certiorem,ac tutiorem, ac proindè ad eā fideles teneri,& obligari,quia in rebus ad salutem necessariis tutiorem viam sequi tenetur ; ita discurrit sub lit.G.ut legenti patebit .

429 Cæterum Amicus *dis.*10.*sect.3.n.*48.ait, hunc Doctoris discursum acutiorem esse, quàm vertiorem,tùm quia falsum est,ad cōsequendā remissionem peccati per hoc sacramētum satis esse accedere sine obice actualis peccati, sed necessaria est attritio supernaturalis;tùm quia esto ratione dispositionis sit facilior,ac tutior via consequendi gratiam per pœnitentiam sacram. quàm per pœnitentiam virtutem, quoniam ad illud sufficit attritio. ad hanc requiritur contritio ; multis tamen aliis modis hæc via est incertior, quia pendet ex pluribus conditionibus nobis incertis, ut ex charactere baptismali proprio,sine quo nullus effectus sacr.participari potest: ex charactere baptismali,& Sacerd. ministri ex iurisdictione, & intentione absolutionis.Hæc tamen impugnatio frivola est, quando enim ait Doct.quòd ad consequendam gratiam cum pœnitentia sacramento sufficit non ponere obicem , vult dicere,non necessariò requirt perfectam illam dispositionem , quæ dicitur contritio , & est omninò necessaria extrà sacram.sed sufficere dispositionem imperfectiorem, quæ dicitur attritio, hæc enim sola sufficit ad omnē obicem tollendum,& sine illa non tollitur obex peccati mortalis, ut declaratum est de mente Doct.*q.præc.ar.1.n.*414.Deindè falsum est etiā, non esse certiorem viā cōsequendi remissionē peccati per pœnitentiam sacram.quàm per pœnitentiā virtutem,alioquin nullum fuisset factum privilegium Eccl.per hoc sacram. suprà legem veterem , tale enim privilegium in hoc præsertim consistit , quòd ubi in veteri lege contritio necessaria erat ad iustificationem , & remissionem peccatorum; in nova lege non solùm contritio , verū etiam pœnitentiæ sacramentum cum sola attritione remittit peccata, quod est facilius , & certius remedium , quàm sit sola contritio,ut Bonac.notat *dis.*5.*q.*3.*n.*6.& passim docent Recentiores omnes, & hæc maior certitudo talis effectus, scilicet remissionis peccatorū mediante attritione habetur ex sola suppositione validitatis sacramenti, & capaci tatis illius, hæc verò sunt, quæ dependent x charactеribus illis,& intentione Ministri,non enim huius sacramenti est capax , & illius effectus,qui charactere baptismali caret, nec illud conferre potest alteri cum eius effectu , qui caret charactere sacerdotali , & debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit. Dices,rationem illam Scoti in hoc saltem deficere,quod assumit propositionem illam, ut universaliter verā, quòd in rebus ad salutem necessariis tenemur sequi viam certiorē, & tutiorem , cuius oppositum ostendimus *lib.2.dis.*5.*qu.*2.de conscientia probabili ; Sed iam locus iste explicatus est ibidem *ar.*5.n. 112. præterquam quòd in illa eadem *dis.p.qu.*3.*art.*1. diximus,quòd estò in quibusdam materiis liceat sequi minùs probabilem , & tutam opinionem in concursu tutioris , & probabilioris , non tamen id licere in omni materia , & præsertim sacramentorum , de qua hic est sermo .

430 Deindè necessitas huius sacramenti,si vè confessionjs sacramentalis potest rursus efficaciter deduci ex aliis Evangelii locis,ut notat Aversa *q.8.sect.*2.in quibus Christus per similitudin e claviū huius sacramenti essentiam , & excellentiam expressit , sicut enim clavis ad ostium aperiendum est omninò necessaria,ut qui foris sūt ingredi possint;ita potestas Sacerdotis ad solvendum, & ligandum à Christo ei communicata,quæ dicitur clavis , necessaria est ad aperiendam ianuam remissionis peccatorum , & Regni cęlorum, alioquin si absque huiusmodi clave pateat aditus,frustrà data esset hæc clavis Sacerdotibus , & frustrà diceretur clavis; ergo illis, quibus à Sacerdotibus per potestatem clavium aperitio,& solutio non conceditur,clausa manet ianua,atque ideò hoc ministerium,& sacram. est eis ad salutem necessarium . Tandem verisimile non est, rem talem,ac tantam, qualis est sacramentalis confessio,humanum fuisse inventum,& solùm ab Ecclesia institutam,ac sub obligatione fidelibus iniunctam , nisi hoc totum Christus ipse instituisset , & ordinasset;pro qua veritate adducit Amicus *disp.*10.*sec.*2.Conc.Laodicense, Synodum sextam Constantinopolitanam , Concilium Calibonense, Turronense , Rhemense, Moguntinum , & Vuormacense,ac etiam illustria duodecim Patrū testimonia, qui longo tēporis intervallo Innocent.Tertium præcesserunt, Clementem, Ireneum, Orig. Tert. Cypr. Firmianum , Athan. Basil. Chrys. Hier. Ambr. & Aug. quos etiam adducit Faber *dis.*22.*cap.*4. Quarè omninò fatendum est,confessionis necessitatem,sicut & ordinationem fuisse à Christo Domino institutam , esseque verè de jure divino, quæ tamen necessitas intelligenda est , quando talis confessio fieri potest,casu enim,quo fieri non posset, sufficere potest sola confessio in genere ad hoc,ut sacramentum validè,& utiliter conficiatur & absolutio pœnitenti impendatur ; imò etiam si desit copia Confessarii, sola contritio sufficere potest cum sacramento in voto .

431 Quintò tandem dicendum est,pœnitentiæ sacramentum necessarium esse non tantùm necessitate præcepti,sed etiam necessitate medii in re,vel in voto illis,qui mortaliter potest baptismū peccarunt. Ita jam statuimus cum Scoto *l.c.disp.*1.*de sacr.in genere.q.* 10.*a.*3. ubi etiā hęc duo necessitatis genere explicuimus; Probatur primò ex Trid.*sect.*14.*c.*2. ubi definit,pœnitentiæ sacramentum ita necessarium esse lapsis post baptismum,sicut baptismus est necessarius iis,qui nondum illum suscepērūt,sed baptismus necessarius est necessitate medii in re,vel in voto , ut *l.c.* dictum est ; ergo pariter pœnitentiæ sacramētum necessariū est in re, vel in voto lapsis post baptismum . Deindè probatur ratione, quia ex dictis ibidem illud est necessarium necessitate medii in re, vel in voto, quo prætermisso in re,vel in voto,salus obtineri non potest;sed prætermisso pœnitentiæ sacramento in re vel in voto salus obtineri non potest ab eis qui post baptismum lapsi sunt;ergo pœnitentiæ sacramentum est illis necessarium necessitate medii in re,vel in voto. Tandem effectus,ad quem hoc sacramentum ordinatur , est reconciliatio cum Deo,& peccati mortalis remissio post baptismum.ne hac autem reconciliatione, & remissione salus obtineri non potest , & hic effectus nulla ignorantia suppleri potest , etiam invincibili ; ergo non tantùm est necessarium necessitate præcepti,quia talis necessitas per ignorantiam invincibilem suppleri potest , ut l. c. dictum est sed etiam necessitatem medii .

Ex quo patet,moraliter peccantem post baptismum salvari non posse,nisi pœnitentiæ sacramentum recipiat in re,vel in voto , hoc est,nisi recipiat ipsum pœnitentiæ sacramentum,aut actum contritionis eliciat,in qua votum sacramenti pœnitentiæ continetur, aut eliciat actū dilectionis Dei super omnia,qui actui cōtritionis equivalet;undè inquit Trid.*sess.*14.c.4.remissionem peccati non esse cōtritioni attribuendam sine voto sacramēti,quod in illa includitur sufficit verò contritio cum voto sacramenti,quando vel adhuc nō instat tempus obligationis , quo peccator per cōfessionē justificari teneatur, vel si teneretur,non posset tunc confiteri,& hæc tota doctrina expresè habetur apud doctorē *cit.4.d.*17.*qu.un.*in solutione principalium ad auctoritatem Aug.& Cassiod.ubi dicit,cōtritioni annexum esse debere votum confitendi , nec deleri peccatum per contritionem sine proposito confessionis,nam qui actū cōtritionis elicit , tenetur adhuc eadem peccata , quorum remissionē per actū contritionis obtinuit,subiicere suo tempore sacramēto pœnitētiæ contritio enim nō ita justificat,ut peccatorem liberū retinquat ab obligatione subiiciendi peccata sacramento pœnitentiæ,quāvis remissionem peccatorū illorum per cōtritionē obtinuerit;unde qui

contritionis actum erit, obtinet quidem virtute illius peccatorum remissionem, non tamen simpliciter, & absolutè, sed per ordinem ad futuram confessionem, cui Deus vult illa eadem peccati subiici debere, facta autem confessione à tali obligatione pœnitens liberatur; sicut quandò res aliqua venditur, & traditur emptori ante pretii solutionem, acquirit quidem emptor illius rei dominium, & venditor tradit, per ordinem tamen ad futuram solutionem; An verò hoc votum, seù propositum sacramenti pœnitentiæ ad contritionem requisitum, ut sit proxima, & ultima dispositio ad justificationem ex Conc. Trid. *l. c.* debeat esse semper explicitum, & formale, an interdum sufficiat etiam implicitum, & virtute jam declaratum est q. 5. huius *disp. a. 3. n.* 117.

Neque hinc sequitur, susceptionem sacramenti intelligi solùm necessarium in voto, eo modo, quo aliotum quoque præceptorum observantia in voto est necessaria ad justificationem, hoc enim modo non plus dici deberet homo per baptismum, vel pœnitêtiam in voto justificari, quàm per quæcunque alia præcepta in voto; Sed speciali quadam ratione hæc sacramenta dicuntur saltem in voto necessaria, nimirùm non tanquam instituta solùm sub obligatione præcepti, sed tanquam media ad salutem necessaria, sacramentum enim habet aliquid plus, nempè institutum esse, tanquam medium proprium ad justificationem, undè voluntas illas observandi omnia præcepta specialiter refertur, licèt implicitè ad illa, quæ continent media necessaria, tanquâ ad ipsa media necessaria, ut declaratũ est *dis. 2. q. 7. a. 1. n.* 175. loquêdo specialiter de Baptismo; Quomodo tandem neq; hinc sequatur, cõtritionem in nova lege esse deterioris conditionis, & minoris virtutis, & efficaciæ, quàm esset in veteri lege, ubi justificabat independenter à confessione, jam quoque declaratum est *qu.* 5. hujus *disp, art. 3. nu.* 120. ubi diximus, potiùs hinc sequi, quòd modò sit majoris virtutis, & efficaciæ, quàm fuerit in veteri lege, qui nemini potest esse certum, si veram habeat contritionem, efficacia autem sacramenti est certa fide divina, quarè per ordinem ad sacramentum majorem sumit valorem, & certitudinem, de quo etiam videri potest Bon. *disp. 5. q. 2. punc. 3.*

432 In oppositum contrà hanc catholicam veritatem plura obiiciunt Hæretici, & præsertim Calvinus *lib. 3. Inst. cap.* 4. ex Scripturis & Patribus; Primò quia via, & medium ordinariũ, quo peccata delentur, & remittuntur, & semper deleta fuerunt, est dolor, & cõtritio de peccatis juxtà illud Ezech. *c.* 18. *Quotiescunque ingemuerit peccator omnium iniquitatum ejus non recordabor*; ergo non est necessaria confessio. Deindè obiiciunt ex Patribus, præsertim verò Chrysostomo *to. 1. Hom. 1. in ps.* 50. ubi planè videtur reiicere necessitatem confessionis, & soli Deo esse aperienda peccata, dum inquit: *Dicito quotidie in anima tua non dico, ut confitearis conservo tuo, sed dicito Deo,* & similia docet *tom. 2. Hom.* 4. de Lazaro; sic pariter loquitur Ambrosius super illud Lucæ *cap.* 22. *Petrus exivit foras, & flevit amarè*, ubi inquit, *lacrymæ lavant delictum, quod vice pudor est confiteri*. Denique quia confessio integra omnium peccatorũ, ut in confessione sacramentali requiritur, est impossibilis; ergo nõ cadit sub præcepto, quia Deus impossibilia non præcipit; probatur assumptum, quia in *psalm.* 17. dicit David *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, psalm. & 18. *delicta quis intelligit*, si ergo David iniquitates sua supputare non valuit, tantò minùs alii.

Resp. gratis concedendo, viam, & medium ordinarium, quo in quocunque statu peccata sunt deleta, fuisse perfectam de illis contritionem, cum hoc tamen discrimine, quòd antè legem Evangelicam in lege veteri sufficiebat confiteri soli Deo juxtà illud Davidis. *Tibi soli peccavi*, at in lege nova, ubi Christus pœnitentiæ sacramentũ instituit ad majorem facilitatem veniam peccatorum impetrandi, conditio de peccatis debet includere votũ, & propositũ confitendi Ministro ab ipso delegato, si enim pœnitens tale votum & propositũ non haberet saltem implicitè, non doleret de peccatis ut oportet, & ut Christus Dominus ordinavit. Ad 2. respondẽt aliqui, ideò Chrysostomum dixisse, confessionem peccatorũ fieri soli Deo, non quia non fiat etiam homini, sed quia ibi Deus, & homo unum tribunal constituunt, & dicuntur ibi peccata Ministro gerẽti vices Dei, non homini, quia in eo actu Minister non habet rationem conservi sui, sed Dei, cujus vices gerit. Alii verò dicunt Chrysostomum ibi loqui de cõfessione extrà tempus præcepti, undè dicit, se nolle eo tempore quemquam ad confessionem cogere, esse tamen tunc, scilicet, extrà tempus præcepti utile confiteri quotidie Deo, & conscientiam examinare, ubi sine teste, & erube scentia tàm facile peccata Deo ea cognoscenti manifestari possunt; & utraq; expositio sufficit ad verũ sensum Chrysostomi attingendum. Ambrosius autem *l. c.* agit de justificatione, quę fit extrà Sacramentum & quando non urget tempus præcepti, in quo casu sæpè contingit, ut antequam pœnitens ad sacramẽtum accedat, jam sit justificatus; quod tamen non est ita intelligendum, ut notat Doctor *l. c.* in solutione ad argumẽta, quasi lacrymæ solæ sine confessione in re, vel saltem in voto peccatum deleant, quia ut dictum est suprà, lacrymæ, quæ contritionem significant, includunt in voto confessionẽ uo tempore faciendam. Ad ultimum negatur assumptum; non senim Catholici docent, ut confessio sit valida, esse debere omnium omninò peccatorũm, quæ quis commisit, adeòut in conscientiæ examine omnem adhibere debeat diligentiam physicè possibilem, sed eorum tantùm, quæ memoriæ occurrunt præmissa diligentia morali humanæ facilitati possibili, ut infrà dicemus.

433 Rursus arguũt, quia nemo obligatur ad impossibile, sed mutus non potest loqui, ergo non obligatur ad confessionem. Itẽ barbatus inter extraneos est mutus, quia exterorum idioma ignorat; ergo ob eandem rationem ad confessionem non tenetur. Demùm contingere potest, quòd aliquis copiam non habeat Confessoris, quia nimirùm est captivus inter infideles, nec licet confiteri per litteras, neque per nuncium; ergo talis ad confessionem non obliga tur, quia ad impossibile obligaretur.

Resp. ex Sc. *loc. cit.* mutum teneri confiteri per nutus, qui supplẽt in tali casu verborum vices, at *ar. seq.* explicabitur; Ad alia duo argumenta, alios que consimiles casus dicendum est, hoc præceptum tunc solùm obligare, quando confessio secreta fieri potest, & hoc præceptum adimpleri, quòd si in aliquo casu adimpleri non potest, tunc assignatur regula generalis, quòd in his, & similibus casibus sufficiat ad justificationem contritio cum voto confitendi formali, vel saltem virtuali, si quandoque daretur commoditas, & opportunitas, ut magis constabit ar. seq. ubi de his casibus erit sermo. Alia argumenta, quæ contrà necessitatem confessionis ab Hereticis afferuntur, soluta videri possunt apud Bellarm. Valentiam, Suarez, Vasquez, Fabrum, & Hiqueum ex nostris.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qui teneantur ad Confessionem ex vi iuris divini.

434 CErtum est apud omnes, ut docet Doctor *d. 16. cit. q. un. ar.* 2. præceptum divinum confessionis obligare omnes illas personas quæ post baptismum mortaliter pecaverunt, etiam Hæreticos, Apostatas, & degradatos: & ratio est, quia cùm peccata mortalia ex superiùs dictis sint materia necessaria huius sacram. & cùm hoc sacram. sit à Christo institutum, ut medium necessarium ad remittenda omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sequitur, omnes baptizatos conscientiam peccati mortalis habẽtes hoc præcepto teneri, undè infert Doct. omnes etiam pueros baptizatos, cùm primùm ad ea pervenerint ætatem, in qua sint doli capaces, & conscientiam peccati mortalis habere possint, hoc præcepto teneri; undè fit, infantes antè usum rationis non esse huius obligationis capaces, non solùm quia non sunt capaces præcepti, sed etiã quia non sunt peccati actualis capaces, quod est materia huius sacr. & eadem ratione si quis esset adultus innocens, & in gratia confirmatus, ut fuit B. Virgo, nõ obligaretur hoc præcepto, ut docet Doct. *loc.* in solutione ultimi argumenti. Et in hoc differt sacram. pœnitentiæ à sacrm. Bapt. quod impendi potest etiam immuni ab omni peccato, ut fuit in B. Virgine, nam huius essentia non cõstituitur ex confessione proprii peccati, & dolore tanquam materia, sed ex ablutione personæ baptizandę, quæ etiam in persona ab omni peccato immuni salvari potest; quamvis enim in tali subiecto non salvaretur significatio interioris ablutionis, quę per externam ablutionem importatur, adhuc tamen salvaretur primarius effectus ipsius, qui est regeneratio creaturæ per gratiam sanctificantem, & characterem baptismalẽ, sivè hæc actu abluta à peccato, sivè non; Quia tamen difficulties aliquæ in hoc puncto contingunt, breviter examinandæ sunt in hoc articulo.

435 Prima Difficultas est de infidelibus, an isti teneantur tali cõfessionis præcepto, quę difficultas etiam de sacramento Eucharistię agitari solet, quã etiã superiùs diximus, esse de præcepto divino, & non tantùm Eccl. Affirmãt, quamplures, pueros etiam Infideles, qui baptizati non sunt, hoc præcepto obligari, non quidem Eccl. annuę confessionis, sed divino de confess. simpliciter facienda; Hic autẽ ita intelligunt, non quòd teneantur in eo statu infidelitatis confiteri, sed quod adhuc ipsum baptizari debeant, ut confiteantur, ità quòd præter mittentes baptismũ non solùm peccent contrà ipsum baptismi præceptum, sed etiam contra hoc confessionis, quo etiam modo dicunt, præc. Euch. sumendæ Infideles quo, quæ obligare, ita Ricc. Ang. Silv. Adr. pro qua citantur etiam Sc. noster *q. cit. ar.* 1. ubi contra Glos. exinde probat, conf. non esse tantùm Juris Eccl. sed etiã divini, nã alioquin inquit, *videtur, quòd infideles non tenerentur ad confessionem*, quod infert tanquam falsum, & ut tale supponit; qua propter Tatar. ibidem, Fab. Hiqueus, Branc., & alii Scot. hanc opinionem amplectuntur, & hoc idem etiã docent de præcepto Eucharistiæ sumendæ. Oppositum verò defendunt alii Scot. tanquam de mente Doct. non tantùm de præcepto Eucharistiæ, sed etiam confess. etenim de Euch. 4. *d.* 13. *q.* 2. *R.* habet hæc verba: *Christus expresè docuit, se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano* Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. quibus verbis innuit, præceptum de communione ad solos Christianos per se duntaxat dirigi; De confessione verò loquens in hoc eodem 4. *d.* 4. *q.* 5. *ad.* 3. docet, peccata commissa antè baptismũ non esse materiã confess. ita de Euch. tenet Gaval. *disp.* 10. *q.* 2. *c.* 2. de conf. autem Almainus *d.* 17. *q. un. art.* 2. & Aret. ibidem *a.* 2. & alii Recentiores. Alii tandem gratis id concedunt de præcepto Eucharistiæ, sed omnino negant de præcepto confessionis, extendi nimirùm ad Infideles non

non baptizatos, ita Medina, Soto Suarez, Lugus, Amicus Caspensis, & alii Recentiores passim. Quamvis autem Faber pluribus rationibus id probare contendat *disp.* 23. *cap. unic.* commune tamen, & præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quia præceptum de confitendis peccatis non est humanum, sed divinum; ergo non solùm ad illud tenentur fideles, qui sunt intrà Ecclesiam, sed etiam Infideles extrà Ecclesiam existentes, quia præceptum divinum obligat omnes.

436 Dicendum tamen est, quòd licèt de possibili potuerit hoc præceptum confessionis etiam ad Infideles non baptizatos extendi non tamen de facto extenditur, ac idem etiam de præcepto Eucharistię afferendum videtur. Conclusio est Scoti loc. cit. & quoad primam partem probatur, sicut enim potuissent Infideles à Christo per se obligari, ut Eucharistiam sumerent, & hoc ipsum motivum addi ad obligationem Baptismi; ita videtur etiam potuisse obligari ad confessionem, cum hoc tamẽ discrimine, ut notat Aversa *q.* 15. *sess.* 3. quòd ad Eucharistiam potetant obligari absolutè, quia susceptio baptismo statim sunt Eucharistię capaces non sic ad confessionem, quia adhuc suscepto baptismo non sunt confessionis capaces nisi intercedant nova peccata post baptismum, undè si non amplius peccarent, non tenerentur, nec confiteri possent, nec certè peccare deberent, ut confiteri possent; Solùm ergo, ut inquit Aversa, obligari possent per modum cautelæ, & conditionis, quod scilicet tenerentur baptizari ad hoc, ut si peccent, possint sua peccata confiteri, ac eorum veniam consequi per hoc sacramentum, seù tenerentur se in tali statu constituere, in quo sint capaces huius remedii, & huius oneris de confitendis suis peccatis, si quæ committerent post susceptum baptismum.

437 Quòd autem de facto non ita fit, ex eo deducitur, quòd peccata antè Baptismum commissa non sunt materia necessaria sacramentalis confessionis; ut Scotus docet *l. c.* & posteà definitum est in Conc. Flor. & Trid. nam *sess. 6. c.* 14. docet sacramentum pœnitentię esse à Christo institutum *pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, & sess.* 14. *c.* 1. *&* 2. inquit, quòd si justitiam in baptismo susceptam contaminent, ac eam tueremur, non opus fuisset, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem instituì; si autem peccata antè baptismum commissa essent materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, deberent etiam per baptismum remissa subiici clavibus; quia in baptismo non remitterentur, nisi per ordinẽ ad claves, sicut remittuntur peccata extrà sacramentum per contritionem; atq; ita præter baptismum necessarium etiam fuisset pœnitentiæ sacramentum, adhuc constanter conservata justitia baptismali, quod negat Trid. *l. c.* ergo infideles non baptizati non obligantur, imò nec confiteri possunt peccata antè baptismũ commissa, sed pro iis delendis tenentur solùm suscipere baptismum; nec ad hunc finem, & ex hoc motivo baptizari tenentur, ut confiteantur, itaut secus faciendo duplex peccatum committant.

Resp. Branc. *d.* 23. *ar.* 6. nu. 93. quòd est infidelis nec antè baptismum, nec in baptismo, nec post ipsum teneatur suscipere sacram. pœnitentiæ pro iis peccatis, quæ antè baptismum commisit, tamen tenetur ad baptismum, & ad confitendum ea, quæ post baptismum committeret; sicut licèt parvulus antè annos discretionis peccare non possit, non potest tamen negari, quòd præceptum de confitendo obliget eum pro tempore, in quo potest peccare, & habere materiã confessionis; sic igitur infidelis tenetur ad baptismum, ac etiã ad pœnitentiæ sacram. pro tempore sequente ad baptismum pro peccatis, quæ post ipsum committet. Verùm solutio hæc cum exemplo adducto de infantibus nostram omninò confirmat sententiam, nam sicut infantes non habentes usum rationis non obligantur hoc præcepto, durante eo infantię statu, sed tantùm quãdo pervenunt ad ætatem usus rationis, in qua sunt doli capaces; ut omnes cõcedunt; ita infideles, quamdiù in statu infidelitatis permanent, tali præcepto nõ tenentur, sed tantùm suscipere baptismũ quo posteà suscepto tenentur etiam ad Sacr. confessionis pro iis peccatis, quæ post baptismum committentur, quarè sic respondendo hic Auctor iunctis pedibus in nostram descendit sententiam.

Resp. Fab. *dis.* 23. *nu.* 17. quòd peccatum actuale in infideli non subiiciatur Sacramento pœnitentię, ex incapacitate subiecti provenire, cùm enim baptismus sit ianua Sacram. ideo qui non est baptizatus, non est capax aliorum sacramentorum, & consequenter neq; pœnitentiæ Sacramentalis; hæc tamen incapacitas, & impotentia, cùm sit inculpabilis, ipso infideli patrocinari non potest, nec facit illum melioris conditionis, quàm sit fidelis, & ideò hæc incapacitas non aufert ab eo obligationem subiiciendi peccata actualia sacramento pœnitentiæ; quia tamen iam est incapax, maiori obligatione obligatur ad Sacram. baptismi, quia si haberet solùm originale, uno titulo ad illud obligaretur; quoniam verò ultrà originale habet etiam actuale mortale, alio titulo ad illud obligatur, quarè faciendo argumentum in forma ait, negandam esse cõsequentiam illam; peccata infidelis non sunt materia Sacramenti pœnitentiæ; ergo infidelis non subiicitur præcepto confessionis.

Hæc responsio aliquid veri, & aliquid falsi continet; falsum est, quòd ait, incapacitatem aliorum Sacramentorum in infideli, eo quod est culpabilis, non auferre ab eo obligationem subiiciendi peccata actualia sacramento pœnitentiæ, nam ubi non est capacitas actus, qui præcipitur, sivè hæc sit inculpabilis; sivè culpabilis, ibi nec obligationis capacitas reperire potest; ubi autem capacitas obligationis non est, nec locum ullum potest habere præceptũ; hac siquidem ratione nec infantes, qui actus moralis capaces non sunt, neq; humano, neq; divino præcepto ad illum obligari possunt, & eadem est ratio de ebriis, quamdiù in ebrietate sopiti existunt; licèt enim talis incapacitas sit culpabilis, si homicidium committant, tale homicidium adhuc non dicitur peccatum in se, sed tantùm effectus peccati, nec aliquam habet in se malitiam contra præceptum *non occides*, quia non obligat in statu ebrietatis, sed tantùm dicitur habere malitiam in casu, scil. in ebrietate, quam evitare tenebantur, dùm usum rationis habebant. Adhuc tamen verum est, quod additur in ea responsione, ob talem incapaci tatem culpabilem maiori obligatione obligari infidelem adultum ad sacramentum baptismi ob peccata actualia, quàm si solùm haberet originale & hac ratione talis incapacitas ipso infideli non patrocinatur, nec facit illum melioris conditionis, quàm sit fidelis; non verò quia non aufert ab eo obligationem subiiciendi peccata actualia Sacr. pœnitentiæ; cùm enim non sit capax talis actus sacramentalis ob defectum baptismi; ibi nec obligationis capacitas reperiri potest. Nec juvat dicere, quòd quamvis infideles non baptizati non sint proximè, & immediatè huius Sacramenti capaces, capacitatem tamen habent ad illud remotam saltem, & mediatam, scilicet mediante baptismi sacramento, cuius sunt proximè capaces. Non juvat, inquam, hoc enim aliud non est dicere, quàm infidelem ad suscipiendum Baptismi Sacram. obligari, & post eius susceptionem obligari posteà in tempore sequenti ad Eucharistiæ sacramentum ac etiam Confessionis, si posteà peccaverit, nam sacra nentum baptismi, ut Trid. docet *sess.* 7. *can.* 7. & 8. est id, per quod baptizati non solùm fidei debitores fiunt, sed etiam universæ legis Christianæ servandæ.

438 Hoc idem eadem ratione probatur de Sacramento Eucharistiæ, quia Infideles non baptizati ex se, & immediatè Eucharisticæ communionis non sunt capaces, sed tantùm mediante Sacramento Baptismi, quod est aliorum Sacramentorum ianua, ut habetur extrà *de Presbytero non baptizato cap.* 1. quia usus aliorum sacramentorum per se baptismum supponit, undè & eorum obligatio non nisi post baptismum potest singulis convenire. Accedit etiam ratio, quia nullus habet nutrimenti necessitatem, nisi jam natus, sed homo in Baptismo nascitur, in communione nutritur; ergo obligationem communicandi non habet, nisi baptizatus; Nec tursus dicere juvat, infidelem antecedenter obligari ad baptismum formaliter propter communionem, & non propter solùm baptismum. Non valet, inquam, quia licèt sic fieri potuerit, ut hoc ipsum motivum communicandi adderetur ad obligationem baptismi, ut dictum est nu. 442. tamen de facto non tenetur homo speciali titulo spiritualiter nasci ad hoc, ut spiritualiter nutriatur, sed solùm supposita nativitate spirituali, qualis est baptismus, tenetur spirituali alimonia uti, qualis est Eucharistia.

439 Tamen verò in oppositum, quòd præceptum Confessionis est divinum, non humanum, & ideò obligat omnes, & cùm sit universale, omnes comprehendit, parum urget; hoc enim intelligitur solùm de omnibus talis sacramenti capacibus, quales non sunt Gentiles, & Infideles, cùm enim Ecclesia non iudicet, nisi de iis qui per Baptismi ianua in ipsam ingressi ex Trid. *sec.* 14 *cap.* 2. quod probat ex verbis Apostoli Ad Corint. 1. *quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare*, ad solos baptizatos hoc præceptum restringi debet. Nec etiam urget auctoritas Scoti *d.* 17. *ar.* 1. dùm exindè probat, Confessionem esse de jure divino, quia alioquin sequeretur, quòd Infideles non tenerentur ad confessionem, quod infert tanquam falsum, & ut tale supponit; Non urget, in quam, quia ut patet ex ipso contextu, ibi Doct. arguit ad hominem, quoniam Canonistæ, contrà quos ibi arguebat, docent, Infideles teneri ad Confessionem; alioquin ipse Doctor 4. *dist.* 4 *q.* 5. *ad* 3. ex propria sententia docet, peccata antè baptismum commissa non esse materiam Confessionis.

Dices cum Fabro, qui obligatur ad aliquam tota legem servandam, obligatur ad singulas partes, & præcepta illius legis; sed sic est quod infidelis obligatur ad servandam totam legem Christi post eius promulgationẽ, ergo obligatur ad omnia eius præcepta; inter alia autem præcepta legis Christi est, quòd adultus existens in peccatis mortalibus pœniteat, & illa confiteatur, ergo &c. Resp. infideles obligari ad legem Dei, & ad illa præcepta, quorum sunt capaces, non autem, quorum sunt incapaces, alioquin etiam infantes, & usu rationis carentes, cùm sint subditi Dei, ad præceptum Eucharistiæ, & confessionis tenerentur; Cùm igitur hæc sacramenta pro solis baptizatis, & intrà gremium Ecclesiæ existentibus fuerint instituta, infideles ad illa recipienda non tenentur, nisi susceptò baptismo, quo mediante fiunt eorum capaces. Dices tursus cum eodem si infidelitas eos eximit ab horum præceptorum obligatione, eis suffragabitur, & faciet melioris conditionis, quàm sunt fideles, qui tali onere tenẽtur. Negatur cõsequẽtia, quia infidelitas sola præpõderat omnibus peccatis à fidelibus cõmissis; tũm quia

quia infidelis habens actualia peccata præter originale adhuc maiori obligatione tenetur ad susciпiendum baptismum, cuius est capax.undè talis obligatio æquivalet, ac etiam prævalet obligationi fidelium ad susciпienda sacramenta Eucharistiæ, & Confessionis; tùm tandem quia onus huiusmodi præceptorum non est onus onerans,sed sublevans, quia viam valdè facilem nobis præbent ad peccatorum remissionem, & gratiam consequendam,mediantibus his Sacramentis, quæ via manet infidelibus clausa, quamdiù baptismum non susciпiunt, qui aliorum Sacram. est janua,qua de causa fideles sunt longè melioris conditionis, quàm infideles, sine ulla comparatione, etiamsi infidelitas eos eximat ab obligatione horum Sacramen. quorum sunt incapaces, quamdiù in statu infidelitati perseverant.

440 Secunda Difficultas est, An muti de jure divino teneantur ad hoc sacramentum,& quomodo.Ratio difficultatis est,quia confessio sacramentalis aliquo signo sensibili fieri debet,tùm quia nequeunt homines invicem suos manifestare conceptus, nisi per sensibilia signa,tùm quia confessio est veluti prima pars essentialis materiæ huius Sacramenti, quam oportet esse per se sensibilem; signũ autem aptissimum ad confessionem est humana vox, tùm quia est inter homines maximè usitatum,& notum,tùm etiam quia distinctiùs, & certiùs significat, quàm alia omnia signa sensibilia; atque ideò mutus, qui loqui non potest, nec formare vocem articulatam conceptuum expressivam,ad hoc præceptum teneri non videtur. Confir. quia in Concil. Flor. in decreto Eugenii Materia huius sacramenti dicitur esse oris confessio;ergo de necessitate confessionis & valore Sacram. videtur, ut voce fieri debeat, sicut ablutio aquæ in baptismo. Tandem de necessitate huius sacramenti est,ut absolutio voce proferatur,ut superiùs dictum est,undè Concil.Florent *l.c.* dicit, formam huius sacramenti esse verba Sacerdotis, ergo ita etiam dicendum de confessione videtur.

441 Dicendum tamen est, mutos de iure divino ad hoc sacramentum teneri. Ita Scotus *d.17.q.un.* in solutione principalium, & est communis Theologorum sensus;Probatur,quia nullum extat præceptum divinum; vel Ecclesiasticum,ut cõfessio sacramentalis humana voce fiat;non quidem divinũ,quia neq;ex Sac.Scriptura,neq; ex traditione constat de huiusmodi præcepto;neque ex eius institutione hoc præceptum colligi potest, siquidem ex eius verbis solùm habemus, necessarium esse, ut pœnitens Judici causam suam manifestet, hinc tamen deduci non potest opus esse,ut hæc notitia detur per proprium sermonem humanum, nam hæc etiam haberi potest per quamcunque expressionem per alia sensibilia signa,& ita servatur in praxi, ut constat de moribundis: qui non potentes loqui, signa contritionis, & confessionis exhibent; sic ergo pariter muti sua peccata exprimere poterunt nutibus, vel aliis signis; habetur etiam exemplum in sacramento matrimonii, quod pariter non solùm voce, sed etiam aliis signis mutui consensus expressivis perfici potest. Nec etiam de hac re reperitur ecclesiasticum præceptum,aliudvè decretum.imò ex consuetudine Ecclesiæ oppositum colligitur,nam cùm pœnitens loqui non potest,si quovis alio modo conscientiam suam Sacerdoti significet, censetur sufficere, absolvendus sit,quemadmodum de moribundis dictum est;Et planè optima fuit congruentia talis institutionis, quia hoc sacramentum præcipuè institutum fuit,ut remedium ad salutem peccatorũ maximè necessarium; ergo eius essentia ad illud signum limitari non debuit, quòd sæpissimè in articulo necessitatis deest;huiusmodi autem est vox articulata,& humanus sermo,quo non solùm muti,sed etiam moribundi sæpè uti non possunt.

442 Ad fundamentum in oppositum,concesso antecedente quoad omnes partes,negatur consequentia,quia manifestatio humanorum conceptuum potest fieri non solùm voce, & locutione, sed etiam scripto, aliisvè signis, & nutibus,undè benè potest quis peccata sua aliis signis exprimere,& accusare. & cõsequenter benè poterit ab iis à Sacerdote absolvi;adhuc tamen optimus & consuetus modus confitendi est per vocem,& verba,quę in humano commercio sunt commodissima signa. Ad Confirm. patet per idem, ideò enim Concil. Flor. peccatorum accusationem in hoc foro appellavit oris confessionem, quia ordinario modo sic fieri solet, imò debet ex obligatione,sic fieri voce ab eo,qui potest, nisi rationabili causa excusetur;non tamen est absolutè pro omnibus necessariũ & in quocunque casu, & ideò Concil. Trid. ad omnem tollendam ambiguitatem particulam oris omisit, & solùm dixit, confessionem in genere, & absolutè sumptam esse materiam; Ex quo patet discrimen inter materiam sacramenti huius,& baptismi,non enim est una in specie materia huius sacramenti,sicut est aqua in baptismo,sed est una unitate generica, quia est manifestatio peccatorum per signa; in baptismo verò requiritur omninò ablutio aquæ, nec sufficit alius quicunque liquor, quia specificè, ac determinatè in tali materia sacramentum baptismi institutum est;& sicut se habet aquæ ablutio in baptismo, ita se habet in confessione peccatorum manifestatio,& accusatio in genere non determinando per vocem & verba. Ad ultimum negatur consequentia, non enim ita necessarium est, confessionem fieri voce, sicut absolutionem; quia ex Concil. citat. essentialis formæ ratio huius sacramenti consistit in verbis, cuius etiam congrua ratio reddi potest,quia nimirùm materia sacramenti non semper expressam continet significationem, sed hæc completur per formam,& perficitur, & ideò magis necessarium est verbum ex parte formæ, quàm ex parte materiæ, tùm etiam quia moraliter loquendo nunquam,aut vix contingit necessitas absolvendi sine verbo,confitendi autem frequens est, ut patet ex dictis *q.12.ar.2.* nu.354. quare in Concil. Arausicano primo sub Leone I.cap.12. statutum est, *obmutescentem, si nutibus confitetur, absolvendum esse.*

Tertia Difficultas est, An pœnitens ex vi præcepti Confessionis, & de iure divino teneatur confiteri per interpretem, si aliter non possit. Affirmat Silvester. & Canus apud Suar. *sess.6* Lugus *dis.15. sess.* 5. Caspensis *dis.* 4. *sess.* 3. & alii quidam Recentiores, quorum fundamentum est, quia licèt præceptum divinum non bligeat confitenda peccata cum gravi detrimento extrinseco ; ex confessione tamen facta per interpretem fidelem, & prudentem,quia eodem modo obligatur secreto,& sigillo,ac Confessarius,nõ videtur tale detrimentum sequi, nisi quòd peccata, quæ aliàs unì tantùm esse nota deberent,scil. Cõfessario,manifestentur duobus,illi nimirùm,ac Interpreti; At hoc incomodum non videtur tanti ponderis esse,ut pœnitentem excuset ab obligatione divini præcepti,quia sæpè habens peccatum reservatum absolvitur ab Inferiori, cum onere tamen comparendi postea coram superiore, cuius casus reservatur,ac ei manifestandi,& tamen non ob id pœnitens à tali obligatione eximitur;ergo etiam ita dicendum est de obligatione confitendi per Interpretem, æquè enim in utroque casu urget periculũ damni publicantis;quam instantiam valdè urget,& ampliat Lugus loc. cit. quem ex nostris etiam sequitur Branc.*dis.23. art.6.n.*133. ubi etiam ulteriùs addit *n.* 343. teneri quoque Fideles ad sic confitendum, scil. per interpretem pro annua confessione ex præcepto Ecclesiastico, quando aliter confiteri nõ possunt;quia Ecclesia determinavit tempus,nõ autẽ obligationem cõfitẽdi,quę divina erat unde si semel cõceditur de iure divino esse,quòd peregrinus,si aliter nõ potest,cõfiteatur per Interpretem, jam hæc confessio etiam ab Ecclesia determinatur quoad tempus,sicut & aliæ confessiones.

444 Dicendum tamen est,præcepto divino,& multò minùs Ecclesiastico non teneri fideles ad Confessionem per interpretem.Ita Doctor expresè *dis.17 cit.q.un.* in solutione principalium, ubi in responsione ad argumenta, quid sit dicendum, si interpres sit necessarius,ut confessio in particulari fiat,ait, eum non teneri per Interpretem confiteri,maximè quando timetur,eum non esse idoneum,aut secretum,non negat autem,eum posse sic confiteri,si velit, sed negat eum esse obligatũ confiteri per Interpretẽ,ut ibidem advertit Hiquæus in Commentario nu.121. & Pontius *dis.*45.*q.6.n.*41 Undè falliter Brancatus,cùm dicit,Doctorem *loc.cit.* in hoc puncto problematicum esse,neq;id absolutè negare,cùm dicat: *Maximè autem non videtur per Interpretem confitendum,quando timetur. ipsum non esse secretarium idoneum;* fallitur,inquam,quia particula *maximè*,ut patet legenti textum,non est restrictiva,quasi solùm in tali casu non teneatur pœnitens ad confitendum per Interpretem sed est ampliativa, nam suprà dixerat,absolutè loquendo non videri necessarium ex præcepto divino confiteri per Interpretem, & postea subdit,maximè autem non videri, quòd sit confitendum per Interpretem,quando timetur,ipsum non esse secretarium idoneum,& sensus est, nunquam absolute loquẽdo teneri pœnitentem ex præcepto divino confiteri per interpretem,maximè verò in casu,quo timeatur,ipsum non esse secretarium idoneum;ex quo clarissimè patet, particulam *maximè* ibi teneri non restrictive, quasi solùm in tali casu non teneatur,sed ampliativè,& ita illum textum alii quoq; Scotistæ passim exponunt,& est communis opinio apud Recentiores Suarez, Vasquez Aversam, Coninch. & alios.

Quòd autem talis confessio per Interpretem non sit ex præcepto divino,præter rationem à Scoto insinuatam loc.cit.clarè deducitur ex Trid. *sess.*14. *cap.* 5. ubi inquit; Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem,tùm ob aliorum exemplum,tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum,nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda; Hæc ibi Concilium, quibus verbis patet, confessionem huiusmodi, licèt non sit à Christo vetita, non tamen esse præceptam nec divina,nec humana lege,atque adeo nullum neque jure divino,neque Ecclesiastico teneri ad aliam confessionem præter secretam, & auricularem soli sacerdoti factam.

Respondet Card. de Lugo *loc.cit. n.*73. Concilium solùm loqui de Confessione secreta, prout contrà distinguitur à publica, quæ fieret coram multis, qualis certè non est, quæ fit per Interpretem, neque enim est publicum, quod per Interpretem fidelissimum, & stricto præcepto obstrictum dico Confessario, sicut neque est publica confessio, quia idem peccatum reservatum manifestatur superiori, & inferiori. Hæc tamen expositio verbis Concilii non quadrat, ex quibus patet accipere confessionem secretam, ut distinguitur à publica, non solùm corã multis facta,sed etiã ut facta duobus

duobus,ut sunt Sacerdos,& interpres,ait enim à Christo solùm esse præceptũ *modum confitendi secretò apud solum sacerdotem*, quibus verbis excluditur quilibet alius præter Sacerdotem. Et quamvis etiam Concilium loqueretur de confessione publica coram multis facta; tamen ratio, ob quam dicit, Concilium talem confessionem publicam non fuisse à Christo præceptam,probat etiam,quòd non præceperit illam, quæ fieret per Interpretem, hæc enim ratio est publicitas,quæ in utraque confessione reperitur,tàm coram multis facta,quàm per interpretem,nec differunt nisi quoad magis, & minùs;eo enim ipso,quod confessio non fit soli sacerdoti, jam est aliquo modo publica,vel saltem non secreta, sicut à Christo est præcepta,qui præcepit solùm *modo confitendi secreto apud solum sacerdotem*, ut sonantibus verbis expressit Concilium, neque est par ratio de confessione,qua idem peccatum reservatum superiori, & inferiori manifestatur,ut postea dicemus.

445 Quòd verò tantò minùs teneatur quis ad talem confessionẽ jure Ecclesiastico, seù obligetur ad confitendum per Interpretem pro satisfactionem præcepti Ecclesiastici annuæ confessionis, ut contendit Brancatus nostet,patet etiam ex eisdem verbis Concilii dùm inquit, quòd non satis consultè humana aliqua lege præciperetur,ut delicta,præsertim secreta,publica essent cõfessione aperiẽda,& probatur etiam ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi præceptũ annuę confessionis verbis exprimitur. *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio sacerdoti*, qui ergò non potest solus, non tenetur; Accedit tandem ratio,quia non urgente alio periculo potest commodè expectati, & sperari aliud tempus, in quo confessio solitaria fiat. Nec rursus valet expositio Brancati, quod per lv *Solus* aliud non intelligitur, nisi quòd non teneatur ad confessionem publicã coram multis factam, neque propterea excludi confessionẽ hanc per Interpretem faciendam,nam lv *solus* determinat confitentem, non audientem. Non valet,inquam,quia non tãtum dicitur,quòd teneatur pœnitens solus confiteri peccata sua, sed etiam additur, quòd ea confiteri teneatur soli,*& proprio Sacerdoti*, quam particulam excluditur quilibet alius etiã Interpres, hic enim non est proprius Sacerdos habẽs potestatem ordinis,& jurisdictionis,etiã si non minus, quàm Sacerdos, obligationem habeat secreti.

446 Addit tamen hæc communis sententia, quòd licèt non sit præceptum divinum particulare de confitendo per interpretem, tamen in articulo mortis,si quis haberet cõscientiam peccati mortalis,& dubitaret de perfectione suę contritionis,tenetur planè saltem ex præcepto naturali charitatis ergà seipsum aliquo modo cõfiteri,& suæ saluti consulere, absolutionem procurando etiam per Interpretem,ac publicam confessionem, si aliter fieri nequeat, & ad id obligaretur etiam cum quocunque suæ famæ dispendio, & omnium temporalium rerum, quibus omninò æterna animę salus præferri debet;Imò dicunt,ad id teneri, etiamsi probabilem haberet de sua contritione existimationem cum probabilitate etiam in oppositum, quia non deberet soli hujusmodi probabilitati æternam salutem committere; ita Suarez, Vasquez, Coninchius, Aversa, Amicus,& alii Recentiores,quos citat,& sequitur Diana *tom.*2. Resolutionem moralium *tr.4.res.*129.

Ad Fundamentum in oppositum negatur,eandem esse rationem vel eandem currere paritatem de peccato reservato, & de confessione per Interpretem facta, nam in eo casu facilè potest impediri significatio peccati alteri, quàm Confessario, primò quia ad hunc finem in qualibet Ecclesia institui solent Pœnitentiarii publici,facultatem habentes absolvendi à reservatis, & si Confessarius talem facultatem non haberet,potest ipsam petere pœnitens,& procurare per Confessarium ipsũ absque eo, quòd superior veniat in notitiam personæ pœnitentis: Deindè quia posset immediatè confiteri ipsimet superiori, qui ipsum audire teneretur, si alii confiteri non velit,ex illa ipsa obligatione,qua alter teneretur ipsi peccatum reservatum manifestare, neque enim superior pœnitentem obligare potest,ut pluribus,quàm uni peccatum tale confiteatur; Tum etiã quia in tali casu de peccatis reservatis superior, & inferior unum audientem constituere videntur ob unicã potestatem Jurisdictionis absolvendi ab illis,quod dici nequit de Confessione per Interpretem facta, qui nullam supponitur habere potestatem nec ordinis,nec jurisdictionis,ũdè te vera,& physicè,& moraliter sunt plures audientes; Tùm tandẽ,quia ut Poncius advertit *l.c.*eo ipso,quo voluntariè quis incidit in peccatum reservatum, ipsemet liberè se se obigat ad confitendum eo modo, quo necessarium est, ut à tali peccato absolvatur sivè id faciat uni,sivè duobus; sed non liberè se subiecit,& culpabiliter impedimento illi,ex quo oritur, quòd cõfiteri nequeat,nisi per Interpretem; & ideò quamvis etiam concederetur,in primo casu teneri pluribus idem manifestare peccatum superiori,scilicet,& inferiori;non ob id concedere etiam cogimur quòd idem quoque facere teneatur in secundo casu. Denique sententia nostra, quæ est expressa Scoti *l.c.* ex una parte legem Dei facit mitiorem,& suaviorem,& ex alia parte nullo exponit periculo pœnitentem,nam ipsa quoque afferit, in articulo mortis teneri pœnitentem ex charitate erga Deum,vel erga seipsum,&ex cura propriæ salutis ad habendam contritionem perfectam,vel ad Confessionem,etiamsi per Interpretem fieri deberet,sub disunctione, ad unam,scilicet,vel alteram, ne ex hac vita decedat in statu peccati mortalis, & inimicitię cum Deo.

ARTICULUS TERTIUS.

Quo tempore præceptum Confessionis obliget de iure divino.

447 DUpliciter possunt fideles ad sacramentalem confessionẽ obligari,sicut & ad aliorum præceptorum observantiã uno modo per se,scilicet,ex vi ipsius præcepti, & ipsius confessionis præcisè;alio modo per accidens,scilicet, ratione alterius, ad cujus executionem sacramentalis confessio prærequiritur,quo pacto tenetur quilibet conscientiam peccati mortalis habens jure ipso divino ante sumptionem Eucharistiæ confiteri,cui præcepto per solum contritionis actum satisfacere nequit; Hæc tamen ante communionem confessionis obligatio non est per se ex vi præcepti ipsius confessionis,sed solùm ex vi ipsius cõmunionis.Quare indignè communicans absq; prævia confessione non peccat propriè contra divinum præceptum confessionis faciendæ,ac proinde probabilius est,in tali casu duplex peccatum non committere, ut cõtendit Faber *dis.27.cap.2.nu.*31. sed solùm peccare contrà proprium præceptum communionis non sumendę post mortale commissum absq; prævia confessione,quia in tali casu confessio novam obligationem non inducit distinctam ab obligatione dignæ sumptionis Euch. sicut cùm quis communicat non jejunus,duo peccata non committit; alterum transgrediendi præceptum Ecclesiast. de præmittendo antè communionem jejunio,alterum de sumenda Eucharistia à non jejuno. Hic ergo fermo est de obligatione per se,& ex vi præcepti ipsius confessionis,nam loquendo de obligatione per accidẽs certum est, Fideles in quibusdam casibus de jure divino ad præceptum confessionis obligari, quos assignant Faber *l.c.* Brancatus *disp.* 23. *art.*7. & Alii Recentiores passim, & indicat Scotus, ipse mox citandus dicens, fidelem ad confessionem teneri etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reverentia specialis ut quando vult communicare, &c.

448 In hoc autem sensu loquendo omnes concedunt cum Scoto *4.d.17.q.un.art.* 2.*sub O.* hoc præcepto obligari fideles omnes, qui sunt in articulo mortis, & conscientiam peccati mortalis habent, etenim si tunc hoc præceptum non adimpleant,non amplius illud adimplere possunt,vel saltem se periculo exponunt illud nõ adimplendi; Concedunt item pariter omnes cum Scoto *l.c.* hoc præcepto obligari etiam illos,qui sũt in probabili mortis periculo; postquam enim dixit *l.c.* divinum præceptum obligare ad sacramentũ pœnitentiæ,quandocunq; homo est in articulo mortis,subdit deindè,& declarat,hoc non esse tantùm in infirmitate mortali, sed etiã quãdo aggreditur actus arduos,in quibus sit verisimile,quod mors imminеat,ut in bello mortali, naufragio &c. Undè non solùm dicimus in mortis articulo, quo quis est certò moriturus, seù lethali premitur morbo,sed etiam periculo,cùm scilicet, quis periculosũ bellum,vel diuturnam navigationem,aut simila pericula ingreditur,inter quæ plerique Summistæ ponunt etiam fœmina primo patientes, vel quæ aliàs maximam expertæ sunt in partu difficultatem ; hi enim omnes antè articulum, vel periculum mortis confiteri tenentur, dùm copiam Confessarii habent,& peccati mortalis conscientiam ob rationem allatam;quia cùm hoc præceptum non obliget, nisi ad confitenda mortalia, si in articulo, vel periculo mortis constitutus nullam conscientiam peccati mortalis habeat, hoc præcepto non tenebitur.

Sola igitur controversia est, an hoc præceptum divinum Confessionis fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis,loquendo de obligatione per se independenter à quocunque alio præcepto,& extrinseca necessitate,cùm ex tra hæc tẽpora non videatur aliud certũ tempus assignabile,in quo hoc præceptum per se obliget. Qua in re duæ sunt oppositæ sententiæ;Prima negat asserens,per se loquendo,& secluso præcepto Ecclesiastico non teneri quemquam ex divino jure ante mortis articulũ, aut periculum confiteri ; eo quod ex præcepto Confessionis simpliciter non alia obligatio temporis oriatur ; cùm enim sit præceptum affirmativum,non obligat,nisi tempore necessitatis, est autem hoc tempus solus articulũs,vel periculum mortis.pro qua opinione citantur D. Th.*4.dist.*17.*q.*3.*art.*1. Scotus *l.c.* Durandus, Gabriel, Paludanus, Riccardus, & ex Recentioribus Suarez, Coninchius, Lugus,Filliucius,& alii,& ex nostris hanc sequitur Brancat. *l.c.n.*191. tanquam de mente Doctoris. Secunda sententia affirmat, præceptum divinum Confessionis adhuc extrà casum necessitatis obligare,hoc est,extrà casum articuli,vel periculi mortis,sed non conveniunt Auctores hujus opinionis in assignando tempore, in quo obliget hoc præceptum extrà casum necessitatis. Nonnulli dixere statim, ac quis peccavit de jure divino ad confessionem, teneri si commodè potest,tributur quibusdam Canonistis,ac etiã Alensi & D.Bonaven. sed immeritò,ut videre est apud Fabrum *disp.* 28.*c.*c.1.ab initio. Alii verò dixerunt, præceptum divinum confessionis obligare, quoties ex dilatione oritur probabile periculũ oblivionis peccatorum, undè ajunt,teneri confessionem non differre eum,qui rationabiliter timet,per talem dilationem obliturum aliquod ex peccatis mortalibus commissis,aut eorum circumstantias alioquin necessario explicandas,ita Marsilius, Sotus Medina, Nugnez,

guez, Henriquez, & alii nonnulli. Alii tandem communiter dicunt præceptum divinum confessionis ad huc extra casum necessitatis obligare, non tamen pro aliquo determinato tempore, sed vagè, & indeterminatè, & Christum reliquisse tale tempus Ecclesiæ determinandum, ita Amicus, Caspensis, Aversa, & ex nostris Hiquæus 4. dis. 17. quæst. Faber loc. cit. & alii passim; Pro quæstionis resolutione sequentes assertiones sunt statuendæ.

449 Primò Dicendum est, hoc præceptum per se aliquos obligare etiam extrà articulum, & periculum mortis. Hæc est communior, & probabilior cum Auctoribus secundę sententię; neq; dissentit Doctor loc. cit. quamvis enim ibi doceat, præceptum divinum de sacramento pęnitentiæ per se obligare in articulo mortis, vel in periculo illi æquivalenti, non tamen negat, per se aliquando obligare etiam extrà articulum & periculum mortis; Probatur autem ratione satis congrua, quia finis institutionis huius sacramenti non fuit, ut hominem solùm in extremo vitæ disponeret, sicut institutum fuit extremæ unctionis sacramentum, sed ut hominem à peccato mundaret, & in gratia Dei conservaret in hac vita, ut opera meritoria vitæ æternæ operari posset, quæ sine gratia haberi non possunt; aliàs sequeretur, quòd in hac vita non teneretur facere bonum, aut suis meritis ingredi regnum cęlorum, & sibi prepparare coronam, quod in statu peccati assequi nequit; ergo sicut autè finem vitæ tenetur ad actus aliarum virtutum, & suam salutem operari, mediante fide, sic etiam ad pœnitentiam, sicut enim ad effectum salutis fides sine operibus mortua, est, ita opera existentis in peccato mortali sine pęnitentia mortua sunt.

Verùm quamvis hæc ratio, quæ passim Recentiores utuntur, sit congrua, ut dicebam, non tamen convincit, quia dici posset, hanc præparationem ad gloriam per opera meritoria, & reconciliationē cum Deo fieri posse per contritionem, cum voto duntaxat confitendi in articulo, vel periculo mortis; ac proinde ad hæc omia salvanda sufficere præceptum pęnitentiæ, non determinando per cōfessionem, sed supplendo per contritionem cum voto confessionis Quarē magis arridet ratio, quam ad id probandum adducit Amic. d. 27. sess. 4. n. 59. quoniam hoc sacramento non tantùm est institutum ad peccata præterita remittenda, sed etiam ad præcavenda futura, nec solùm hoc sacramento humanæ voluit succurrere imbecilitati remittendi homini peccata sua, attritione dispōsito, sed etiam efficax frænum illi imponere, ne tàm facilè in peccata prolaberetur; tale autem frænum ad peccata præcavenda non est sola obligatio ad habendā contritionē de peccatis commissis, sed obligatio ea distinctè alteri homini manifestandi, cùm hoc maximè humana abhorreat superbia; quarē expediens non fuit illud usque in articulum, vel periculum mortis differre, eo quòd tunc alter principalis finis non haberetur, propter quod hoc sacramentum est institutum, ut nempè tali sacramento mediante homines futura peccata precaverent, qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest, sed præcipuè per manifestationem suorum peccatorum alteri homini in foro pęnitentiæ, quæ maximam inducit verecundiam in pęnitente.

Denique adhuc evidentiùs id deducitur ex Trid. sess. 14. c. 5. ut idem Amic. advertit l. c. Caspensis, & alii Auct. secundæ sententię ubi sic loquitur: *Neq; enim per Lateranense Concil. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Cùm ergo Trid. his verbis doceat, determinatum fuisse ab Ecclesia tempus, in quo Christi fideles tenerentur hoc divinum præceptum de confitendo adimplere, necessariò intellexit de tempore, quo extrà articulum mortis hoc idem præceptum jure divino obligasset, hoc enim tantùm tempus Ecclesiæ determinatione egebat; at si tempus implendi hoc præceptum iure divino esset tantùm articulus, vel periculum mortis, iam in tali casu determinatum esset tempus implētionis præcepti iure divino, atq; ideò non potuisset Ecclesia statuere, ut obligaret semel in anno, quando enim præceptum, & tempus præcepti jure divino constituta sunt, non possunt ab Ecclesia mutari, ut patet de præpto Baptismi, cùm enim hoc præceptum determinatum tempus habeat ex divina institutione, itaut quovis vitæ tempore infidelem obliget, nisi iusta excusetur de causa, ut baptizetur, ideò Ecclesia illud mutare non potuit, aut aliter determinare; per quam doctrinam sufficienter manet præclusa responsio Adversariorum dicentium, verba Conciliii intelligenda esse de præcepto divino per se obligante in casu necessitatis articuli, scil. vel periculi mortis, nec aliam indicasse huius præcepti necessitatem extrà prædictos casus. Sufficienter, inquam, manet preclusa hæc solutio, quia in eo casu iam est determinatum tempus iure divino, æquè ideò Ecclesia statuere non potuisset, ut singulis annis obligaret; Tùm quia si per præceptum Ecclesiasticum determinatum fuisset ipsum necessitatis ad annuam confessionem, & non aliquod aliud tempus extrà illud, sequeretur, eum, qui iam semel in anno confessus est, non teneri amplius confiteri, etiamsi posteà in eodem anno esset in extremo periculo, & peccati mortalis conscientiam haberet, sed satis illi esse contritionem, quia jam præceptum divinum adimplevit in tempore ab Ecclesia determinato; quando enim Ecclesia constituit tempus alicuius præcepti divini, cessat omninò obligatio illius præcepti extrà illud tempus, quod Ecclesia designavit.

450 Nec fundamentum oppositæ sententiæ urget, quamvis enim hoc sit præceptum affirmativum, adhuc tamen negandum est, obligare tantùm in extrema necessitate, licēt in ea tantùm determinatè obliget, extra quam non nisi vagè, & indeterminatè obligat, quantùm est ex se, ut posteà dicemus. Sed dices cum Suar. d. 35. sess. 3. hoc Sacr. est quædam determinatio præcepti pęnitentiæ virtutis, quod ex iustitia tenemur Deo satisfacere; atqui hoc præceptum nō obligat, nisi in extrema necessitate, ergo neq; Sacram. pęnitentiæ. Negatur maior; quia ut constat ex modo dictis, hoc sacramentum nō tantùm ad institutum ad peccata præterita dimittenda, sed etiam ad precavenda futura, cuius rei signum est, quòd hoc sacramentum non solùm de pręteritis dolorem requirit, sed etiam efficax propositum de futuris præcavendis saltem implicitum, & quando etiam concederetur maior, adhuc est falsa minor, quòd scil. præceptum pęnitentiæ virtutis non obliget, nisi in extrema necessitate, scilic. artic. vel periculis mortis, ut constat ex dictis supra q. 7. ar. 3. n. 211.

451 Secundò Dicendū est, tempus determinatum obligationis, vel adimpletionis huius præcepti de iure divino nō esse statim post peccatum commissum. Hęc conclusio est communis contrà primū ex relatis dicendi modis pro secunda sententia tuenda, & constat ex dictis l. c. q. 7. ar. 3. n. 208. ubi statuimus, non teneri peccatorem statim conteri, & pęnitere post peccatum commissum, aliàs esset in continuo peccato, qui statim ac peccat, non conteritur, vel diligit Deum, sicut qui non restituit, quòd nullus cōcedit; si ergo nō tenetur peccator statim post peccatum commissum conteri, & pęnitere multò minùs tenebitur statim confiteri consequentia patet, quia non est maior necessitas confessionis, quàm contritionis, quia sine confessione quis potest salvari, si nimirùm habeat contritionem, nec adest copia Confessarii, at sine contritione nequaquam. Confir. ex ipso præcepto Ecclesiæ de annua confessione, non enim Ecclesia voluit obligatione iuris divini retardare, & si tunc urgeret obligatio, ertassset Ecclesia talem differendo obligationem, seū dilationem concedendo per integrum annum, & ea stante occasionem prævaricandi fidelibus obtulisset, qui absque ullo scrupulo, & conscientiæ remorsu putant, se de rigore obligationis non teneri citiùs confiteri. Deniq; hoc est contrà communem Doctorū sententiam, & fidelium sensum, qui nunquam se accusant, quòd non statim, ac peccaverunt, sint confessi; & si ex iure divino, vel naturali adesset obligatio statim pęnitendi, non per hoc adesset etiam statim cōfitendi, sunt siquidē interim pęnitentia fieri posset sine confessione cum solo eius voto, & hæc sufficeret ad salutem, & peccatorum remissionem. Argumenta in opposito soluta l. c. loquendo de pœnitentia virtute, & solvuntur etiam à Fab. l. c. & Brancato.

454 Tertiò Dicendum est, neq; determinatum tempus obligationis huius præcepti esse, quando ex dilatione confessionis oritur probabile periculum obligationis peccatorum. Hæc etiā est communis cōtrà alterum ex relatis dicendi modis pro secunda sententia tuenda, & colligitur ex eodem usu Ecclesiastici præcepti, quia aliàs multi de facto tenerentur frequentiùs, quàm semel in anno cōfiteri, facilè namq; in unius anni spatio periculum occurrit oblivionis de aliquibus peccatis & circumstantiis, ac præsertim de eorum numero, cùm multi de facto omnia sua peccata intrà annum commissa memoria retinere nequeant; undè sequeretur non sufficienter Ecclesiam tempus determinasse, quo omnes Christi fideles integrè hoc præceptum adimplere valeant. Confir. quia si hæc opinio vera esset, sequeretur, pęnitentem teneri confiteri adamussim omnia peccata, quæ re vera commisit; at hoc est falsum, quia ex præcepto divino confiteri non tenemur, nisi omnia illa peccata, quæ menti occurrunt post diligens examen, ut Triden. definit *sess.* 14. c. 5. Tandem hoc idem ratio ipsa suadet, quia ex obligatione integritatis in confessione servandę ad summum deducitur; pęnitentem teneri moralem facere diligentiam eo tempore, quo confitebitur, in suis peccatis recolendis, & ea tantùm confiteri, quæ post maturam diligentiam, & prudentem discussionem recordatus fuerit; nec obligatur facere extraordinariam diligentiam, qualis esset anticipare confessionem, qua de causa nec etiam peccata parata scribere tenetur, ut sufficienter memoriæ fragilitati provideat, & nulli dubium est, quòd hoc remedio satis memoriæ consuleret.

Dices, unusquisque iure divino tenetur omnia mortalia peccata cum suis necessariis circumstantiis confiteri, quia iure divino tenemur ad integram peccatorum confessionem; ergo sicut qui timet, se non amplius habiturum Confessarii copiam, tunc confiteri tenetur; ita & qui timet, se non habiturum omnium suorum peccatorum memoriam, eorum enim recordatio necessaria est ad confessionis integritatem.

Respondetur ex modò dictis, ad integritatem Confessionis sufficere Sacerdoti aperire omnia peccata, quę post maturam diligentiam, & prudentem discussionem menti occurrunt, nec obligatur homo facere extraordinariam diligentiam, sicut esset cōfessionem anticipare, aliàs etiam dici deberet, pęnitentem teneri peccata sua scribere statim, ac sunt commissa, ne eorum obliviscatur. Undè nā valet

valet adducta paritas de eo, qui timeret, se non amplius Confessarii copiam habiturum, ad quod evitandum periculum eam diligentiam adhibere tenetur, ut eam confitendi comoditatem elabi non sinat, quam fore ultimam timet; talis autem, & tanta necessitas non adest in proposito.

453 Quarto tamen dicendum est, præceptum Confessionis ex vi sua non solùm obligare in mortis articulo, verùm etiam aliquoties extrà mortis periculum, ut suprà dictum, vagè tamen, & indeterminatè, itaut nulllum tempus assignari potest, quo obligasset, nisi Ecclesia id determinasset, quòd saltem confessio fiat semel in anno. Hęc conclusio pendet ex dictis suprà q. 7. ar. 3. de pęnitentia virtute, ubi n. 211. diximus etiam, aliquo tempore extrà mortis articulum, vel periculum pręceptum contritionis de peccatis cōmissis per se obligare, difficile tamen esse tale tempus ex natura rei determinare, si ergo pręceptum contritionis de peccatis cōmissis non habet determinatum tempus extrà casum extremę necessitatis, non est, cur dicamus, illud habere præceptum divinum confessionis, quæ minùs necessaria est, quàm contritio. Et quamvis Soto, Navarr. Bonac. & alii Sumistę dicant, tempus hoc posse, ac debere determinari iuxtà prudentis viri judicium ad consulendum proprię saluti, & alia evitanda peccata: difficile tamen est tale tempus assignare extrà articulum, & periculum mortis, maximè cum quacunque necessitate designata in speciali possit essa remedium dilectio Dei, vel contritio de peccatis commissis: ideòque probabilius alii Doctores censent, necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ac indeterminatum ad certum spatium limitaret, scilicet, saltem semel in anno; Ex quo infertur, cùm Christus non determinaverit tempus præcepti confessionis, reliquisse illud Ecclesiæ determinandum, ut recte advertunt Amicus, & Caspensis loc. cit.

QUÆSTIO DECIMASEPTIMA.

An ut Confessio sit sacramentalis, & valida, debeat esse secreta.

454 Hic ab initio advertēdum est, duplex esse Confessionis secretum; unum, quod tenetur servare Confessarius, audita alterius Confessione, quod Confessionis sigillum dici solet, de quo infrà; Alterum, quo pœnitens debet secretò facere Confessionem apud solùm sacerdotem, quo sensu Confessio dicitur secreta, non solùm prout secretum opponitur publico, & publicum dicitur, quod omnibus, aut pluribus innotescit, & quod paucis notum est, dicitur adhuc secretum, sed rigorosè excludendo omnē alium præter Sacerdotem, undè dici etiam solet auricularis Confessio. Quæstio igitur est, an confiteri publicè coram pluribus sit contrà institutionem hujus sacramenti, & ita non sit vera sacramentalis confessio; Supponit autem hæc quæstio, modum secretæ confessionis honestum, & sanctum esse, & ad sacramentū conficiendum sufficientem, & hoc contrà Hęreticos hujus temporis, qui hanc secreti conditionem, & normam irrident, & contemnunt, taquam non à Christo institutam, nec ab initio Ecclesiæ usitatam, sed à paucis sæculis noviter inventam, quia in sacra Scriptura dicunt, non reperiri, nec in primitiva Ecclesia fuisse in usu, quod ex antiqua consuetudine colligunt agendi pęnitentias publicas pro peccatis, ex qua inferunt, Confessionem nunquam secretò factam fuisse in ordine ad peccatorum remissionem, sed tantùm publicè in ordine ad correptionem, & publicam ædificationem; Qui error posteà damnatus est in Tr. *sess.* 14. c. 5. & rursus *can.* 6. his verbis: *si quis dixerit, modum secretæ confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

455 In hac controversia tres sunt Scholasticorum sententiæ, duæ externæ, & una media; Prima extrema docet, conditionem secreti esse de essentia confessionis, & necessitate hujus sacramenti, ita quòd si omittatur, confessio non sit sacramentalis, quæ optimè Scoto nostro tribuitur 4. d. 17. q. un. ubi in solutione tertii, & quarti argumenti ait, confessionem factam per interpretem, vel pluribus Sacerdotibus non esse pęnitentialem, vel sacramentalem, quia non est confessio secreta, sed quodammodo publica, & in hoc sensu eam enixè defendit Faber *disp.* 39. *c.* 1. tanquam de mente Doctoris. Secunda sententia extrema asserit è contrà, cōditionem secreti nullatenus esse de essentia, & necessitate hujus sacramenti, atque ideò esse posse veram confessionem sacramentalem, etiamsi publicè fiat, aut pluribus Sacerdotibus, aut per Interpretem; ita Recentiores communiter cum Suarez *disp.* 21. *sect.* 2. ubi non solùm dicit, secretam confessionem non esse de necessitate sacramenti ex institutione Christi, sed addit, nec etiam esse de necessitate præcepti ex parte pęnitentis, quia nullum in hac re invenitur præceptum divinum, siquidem ex institutione non colligitur, ut ibi obstendere nititur, & illa secluſa non est, undè colligatur. Tertia sententia media asserit, ri ifum modū esse de necessitate sacramenti, simpliciter, & absolutè loquendo; & in quocunque casu, sed tantùm prout regulariter fit; adeòut confessio publicè facta in aliquo necessitatis casu, ut in loco ubi plures infirmi simul jacent tempore pestis, vel in repentino incendio, terræmotu, naufragio, & similibus, esset vera confessio sacramentalis, non quidem quoad modum à Christo institutum, in Ecclesia usitatum, sed tantùm quoad substantiam; quatenus includit informationem Judicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem; qui in quantum servat substantiam, sufficit in casu, quo nequit observari modus jam à Christo institutus, & in Ecclesia consuetus; Ita ex nostris Hiquæus 4. d. 17. q. un. in Comment. à n. 123. Aret. *ibid. ar.* 7. Brancatus *disp.* 10. *ar.* 8. & alii Scotistæ, qui in hoc sensu Doctorem *loc. cit.* exponunt, & intelligunt. Unde Poncius *disp.* 45. *q.* 6. *n.* 31. ut bene advertit Scotum *loc. cit.* non tenuisse oppositum, cùm solùm dicat, quòd non sit necessarium confiteri per Interpretem, vel pluribus Sacerdotibus; & quamvis det pro ratione, quòd forum hoc est secretissimum, tamen sine dubio loquitur de ipso, ut regulariter contingit, & ut ex præcepto quis tenetur ad illud accedere, hoc enim solùm sufficiebat intentio ipsius, quod erat probare, Confessionem per Interpretem non esse necessariam, & sub præcepto non cadere.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quæstionis.

456 Pro hujus Quæstionis resolutione, quæ non est adeò parvi momenti, ut quidam existimare videntur, eam sicco pede prætereuntes. Primò Dicendum est, modum secretò confitendi, seù confessionem auricularem fuisse à Christo Domino institutam, & non haberi solùm ex pura Ecclesiæ traditione. Hęc assertio post definitionem Trid. *loc. cit.* apud omnes certa esse debet, dùm enim dixit, modum confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum nō esse ab institutione, & mandato Christi, & non esse humanum inventum, apertè significat, initium hujus ordinationis referendum esse ad institutionem Christi, qui non solùm Confess. præcepti dans potestatem ligandi, & solvendi, sed etiam modum ejus saltem regularem definivit; ergo institutio hujus sacramenti intelligendum est fuisse, ut confessio fieret secreta, & ob cultum sacramēti, & facilitatem, ne fieret odiosum, & ob securitatem pęnitentis, ut explicat Leo Papa *epist.* 91.

Resp. Suarez *loc. cit.* Concilium ibidem dicere, Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pęnitens voluntariè illam facere velit, atque ideò neque in institutione posuisse Christum modum secretæ confessionis, tanquam necessarium, aliàs consequenter oppositum modum prohibuisset; & dùm ait, Concilium modum secretè confitendi non esse alienum ab institutione, & mandato Christi intelligit, non esse contrarium, nec repugnare divino præcepto, imò esse illi consentaneum, quia supposita institutione ille modus per se loquendo convenientior est, & aptior ad omnes tollendas difficultates, & scandala,

Sed plenè Concilium dùm inquit, modum secretò confitendi non esse alienum ab institutione, & mandato Christi, non tantùm significare voluit, non esse contrarium, nec repugnare divino præcepto, sed præterea significare voluit, esse positivè conformem, & consentaneum mādato, & institutioni Christi; quod adhuc amplius declarat per immediatè sequēta verba, dum inquit, *non esse inventum humanum*, significare volēs, esse inventum divinum, & ab institutione ipsa Christi originem ducēs, quia & Patres unanimi consensu confessionem secretam commēdarunt, & ea usa est Ecclesia ab initio: dùm ergo hac ratione dicit Concilium, non esse inventum humanum, clare dat intelligere, per traditionem Apostolicam emanasse talem usum ex ipsa sacramenti institutione ex regula cognoscendæ traditionis Apostolicæ, data ab Aug. & ab omnibus recepta; & hoc ipsum fatetur etiam Suarez ipse, dùm inquit, ideò dixisse Concilium modum secretè cōfitēdi, *non esse humanum inventum*, quia aliquo modo ducit originem ab institutione divina. Et planè verū est, Concilium ibidem declarare, Christum non prohibuisse Confessionem publicam, si pęnitens voluntariè illam facere velit; dùm verò hinc infert Suarez, neque institutione Christum posuisse modum secretæ confessionis, tanquam necessarium, aliàs consequenter prohibuisset oppositum modum; Hæc consequentia benè deduceretur, si nos diceremus, Christum in institutione hujus sacramenti posuisse modum secretæ confessionis, tanquam necessarium simpliciter, & absolutè, & in quocunque casu; at nos non asserimus, hunc modum esse ita de necessitate sacramenti, & præcepti; sed tantùm prout Confessio regulariter fit, & ordinariè exercetur, gratis concedentes, in casu necessitatis posse fieri publicè, & ob quosdam fines à Concilio enumeratos, qui raro contingunt, ut in vindicationem peccatorum, sui humiliationem, exemplum aliorum, & Ecclesiæ, quam offendit, ædificationem; Hic itaque modus secretæ confessionis fuit à Christo institutus, quia ut etiam fatetur Suarez, supposita hujus sacramenti institutione ille modus per se loquendo convenientior est, & aptior ad omnes tollendas difficultates, & scādala, licēt per accidēs, & in quibusdam casibus, ac circumstantiis jam insinuatis posit confessio publica licitè, & validè fieri. Denique eo ipso, quòd Concilium dicit, Christum pręcepisse Confessionem, non tamen